*IOANNIS BRUNONIS, M. D.*

DE MEDICINA PRÆLECTORIS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ

EDINENSIS PRÆSIDIS,

# ELEMENTA MEDICINÆ.



EDINBURGI:

Proſtant venales apud C. ELLIOT.

M,DCC,LXXX.



Illuftri Viro

# JOANNI ELIOT, M. D.

Equiti Baronetto,

Medico Londinenfi Prudentiffimo, Feliciffimo,

# JOANNES BRUNO

S. P. D.

Cum egregia tua morbis medendi, falutis humanae tuendae, felicitas, quam non a fana ratione, principiis bonis, tuae curationes abhorreant, haud ancipite documento teftetur, id mihi in caufa fuit, quod repurgandae quibus inquinatur erroribus medicinae, et ad rationem et verum revocandae, caufa inftitutum opus tuo potiffimum patrocinio dicaverim, et doctrinae fimplicitatem tanti nominis pondere muniendam, fplendore decorandam, putaverim. In te, vir praeclariffime, fapientiae Profefforum, prudentium medicorum, favorem, aliorum importunitati moleftae, praejudiciis acribus, opponendum, petivi. Quorum nomine obfecratus, hoc fpei meae et veftri exiftimationis teftimonium, aequi bonique accipias velim et VALEAS.

# PRÆFATIO.

AB hujus operis ſcriptore viginti amplius annis diſcendo, docendo, nullas medicinae partes non diligenter ſcrutando, conſumpti. Quorum quinque primi, aliunde accipiendo, accepta cognoſcendo, credendo, quaſi pretioſam poſſeſſionem, occupando; proximum luſtrum, ſingula clarius explanando, ſubtilius excolendo, polliendo; tertium dubitando, quia nihil ad mentem proceſſerat, algendo, cum multis claris viris, cum ipſo vulgo, pro incerta penitus

tus et incomprehensibili salutiferam artem deplorando, sine fructu, sine dulcissima menti rerum, luce veri, praeteriere, tantaque caduci et brevis aevi mortalis pars, tam opima, periit. Solo quarto lustro, veluti viatori, ignota regione, perditis viae vestigiis, in umbra noctis erranti, perobscura quaedam, quasi prima diurna, lux demum adfulsit.

Prioribus erroribus omissis, morborum, qui inflammatorii, quod eos inflammatio comitatur, vulgo, nosologis phlegmasiae, nominantur, princeps adfectus inflammatio esse, communis omni corpori tumultus ab hac pendere, credebatur, et nunc quoque creditur. Is semel et iterum erysipelas, saepe cynanchen tonsillarem, saepissime

catarrhum,

catarrhum, denique, quantum pura cuiquam uſu venire poteſt, ipſam ſynocham, expertus, eorum morborum naturam in ſe, item in aliis, diligenter contemplatus, et, ad eandem rem, quicquid apud Morgagnium, quiquid apud Trillerium, et fide digniſſimum quemque virum, nulli opinioni inſervientes, attinens invenitur, maximeque de peripneumonia proditur, magno labore, pari fide perſcrutatus; in omnibus, quas ipſe recipiendas putarat, phlegmaſiis communem adfectum, ſeu pyrexiam, praecedere, inflammationem ſequi, utramque quandoque ſimul incidere, deprehendit. Quo facto, inflammationem pyrexiae ſymptoma, non hanc illius, eſſe videbat; eoque magis, quod, unde ipſa pyrexia eſ-

ſet, requirens, iiſdem experimentis et obſervationibus, propriis, alienis, manu quaſi ad cauſam ducentibus, eundem corporis, ac is quo morbus conſtat, ſtatum, tantummodo, quod minor eſt, differentem, praeire comperiebat, et communes noxas, ſola magnitudine variantes, utrumque concitare, cernebat. Quarum perpenſa attentius natura, unum omnium et commune opus hoc, ut corpus incitent, ipſas eaſdem, ac ſecundam valetudinem continentes, poteſtates, tantum validius agentes, eſſe, animadvertebat. Quo novo modulo rem aeſtumans, et e nocentium poteſtatum, et ſalutiferarum, communi opere differens, morbos relatos, et praeter eos rheumatiſmum atque catarrhum, etiamſi in

hoc

hoc et ſynocha ſimplice juſta partis inflammatio deeſſet, pro iiſdem prorſus habendos, locique proprie laborantis adfectum nihil referre, nullam morboſae naturae differentiam ſignificare, judicabat. Si enim plenus cibus, potio merax, illinc ſanguinis abundantia, utrinque toto corpore diffuſus ſtimulus, item calor ſolus, magiſque frigoris opus excipiens, et quicquid praeterea nimis incitet, morborum relatorum quemvis pariter, et omnes, faciunt; contra inedia, ſanguinis detractio, varia purgatio, non inſequente calore frigus, et quicquid parum incitando debilitet, ſolvunt; omnes ejuſdem naturae, quantumvis partium ſymptomatis variantibus, morbi ſint, haec varietas nihil referat, nec ſit, deſitne, inflamma-

tio, aut quanta ſit, ad rem quicquam attineat, neceſſe eſt. Quod enim eadem re naſcitur, eadem tollitur, id idem prorſus eſſe, quo modo inficias iri poteſt ?

Hoc ille reperto, in rectam tandem viam ſe incidiſſe, lucem exortam clareſcere, jamque proxima quaeque latius illuſtrare, laetus perſpexit. Jam non de morborum natura ex ſymptomatis, ſed de his ſimul et illa e nocentibus et juvantibus poteſtatibus, judicandum intelligebat. Hinc e febribus ſynocham, e profluviis catarrhum, ad phlegmaſias, cum quibus, utroque eo certo diſcrimine, congruunt, ab illis morbis toto coelo diſtant, revocavit. Hinc phlegmonen, et quos adfectus noſologi ſub ea comprehendunt, item complures interiorum

riorum ſedium inflammationes, qui utrique adfectus locales, hi, reliquo inde corpore pyrexia ſymptomatica prehenſo, ſunt, ut cauſa, noxis excitantibus, et auxiliis, prorſus alienos, a phlegmaſiis diſſociavit, ad locales morbos relegavit. Quibus in rebus magno artis propoſito, curationi, quam, ſive veras phlegmaſias cum prorſus contrariis morbis, ſive hos cum illis confundendo, vulgaris pathologia, et magis etiam noſologia, vitiarat, optime conſulere videbatur.

His morbis ſic conſtitutis, et ad incitationem cauſam relatis; ex eadem hac alios quoque pendere, iiſdem aut ſimili opere noxis naſci, iiſdem prorſus auxiliis tolli, neutiquam erat dubium. Sic, cum contagio, corpore in variola, in rubeola,

la, item ſcarlatina, alioquin manifeſte phlogiſticis, recepta, quid valeret, et, utrum aliter, ac communes noxae diatheſin facientes, an eodem opere, ageret, idem dein reputaſſet; ex medendi materia rejicienda aut corrigenda conſilio, magna jamdudum conſenſione rejecto, ex imminuta diatheſi phlogiſtica omnem vim morboſam in variola tollente, in reliquis duabus manifeſte ſublevante, et periculum avertente, denique, quod in his morbis aeque, ac phlegmaſiis, verus morboſus ſtatus aliquis a ſecunda prorſus valetudine recedens, ad id incitationis, quod mortem ex indirecta debilitate trahat, accedens, et nullus alius, qualis a propria materia, aut aliunde, fieri fictus erat, reperiebatur; ideo eandem penitus horum

rum quoque morborum naturam esse, et materiam propriam morbi formam tantum facere, praeterque hoc vel quiescere, vel, eodem operis genere, communium noxarum effectum solum intendere, detegebat, nihilque eruptionem, nihil diuturnitatem peculiarem cujusquam momenti significare, omnemque medentis operam in hoc, ut prohibeatur, aut solvatur, diathesis phlogistica, collocandam observabat. Hinc relatos morbos a peste, omnibus diversissima rebus, et a reliquis, exanthematum titulo, quantumvis inter se discrepantibus, tamen, quasi cognatae naturae, conjunctis, separatos, ad phlogisticos restituit. Qua in re nunquam temerandum discrimen, quo nihil in morbis, quod non, quantum a sano statu versus

mortem

mortem incitatio, vel quaſi vitae copia, ſive creſcens, ſive decreſcens, tendat, oſtendat, ut cujuſquam momenti reſpiciendum; et partium adfectus, niſi quantum ab illo pendeant, ſublato deceſſuri, ut nullius ſignificationis, prorſus omittendos, ſtatuitur, haud novum magis, quam utilius, adfirmavit. Cum enim, accepta quamvis materia propria, relatorum exanthematum cauſa in diatheſi phlogiſtica ſita ſit, ab hanc ſolventibus tollatur; quid eſt, quod, effectum materiae propriae diſcrimen ullum memorabilius ſufficere, judices? Accipitur intus materia, in omne corpus fermento quodam multiplicata diſſipatur, nec niſi aliquo temporis, longiore, breviore, ſpatio, ex omni corpore dimanat. Hinc eruptio,

eruptio, et hanc ſequentia, pro rata parte permanent. Sed verus adfectus morboſus, diatheſis phlogiſtica, interea tolli minuive poteſt. Nec novi quicquam in medendi conſilio medentis ad animum, niſi ut tempus, quo materia corpus liberetur, interponatur, quae levis prorſus proprietas eſt, adcurrit. Simili modo, ſi in peripneumonia, ſi in ſynocha phrenitica, ubi, propter pulmonum in illa, cerebri in hac laborem, ſummum vitae periculum ſubeſt, non ex inflammatione, ſed nimia, hanc creante, incitatione, id periculi pendet, et ſublata diatheſi, tollitur; item, ſi catarrho et ſynochae ſimplici deeſt tantum, ob ejuſdem diatheſeos mediocritatem, juſta inflammatio, ad cynanches tonſillaris aut peripneu-

peripneumoniae demum modum, quoties diathefeos fatis fuppetit, confurrectura; fi magnitudine denique diathefeos inflammationis magnitudo nafcitur, pro illius menfura major, minor, aut etiam nulla, futura; quam caufam, quare phlegmafiae omnes non ut unus prorfus morbus, cui fynochae dandum nomen, habeantur, pro diathefeos, et hanc continentis caufae, incitationis, magnitudine, modo cum majore, modo cum minore, modo cum nulla jufta, inflammatione, confpiciendo; femperque iifdem auxiliis, plus minufve pro adfectus morbofi magnitudine debilitantibus, tollendo, fodes, adferes? Quem morbofum ftatum fi materia propria in exanthematis non mutat, et eruptionis, et hanc

fequentium

ſequentium, neceſſitatem tantum, tanquam ſymptomaticam morbi acceſſionem, ſeu formam exteriorem, aut nullius momenti proprietatem, adjicit, et hic eruptio, et hanc ſubſequentes turbae, ut illic inflammatio, ab eadem diatheſeos magnitudine pendet, an eſt, quod exanthemata a propoſito morbo qualibet re memorabiliore differre, et non eundem prorſus eſſe, cenſeas? Quiſquis es, cui huic medendi ratio diſpliceat, tuas ipſius medicinas demum reſpice. Ecquid ad relatos morborum titulos medendos opis, praeter ſanguinis detractionem, praeter inediam aut parciſſimum victum, praeter variam purgationem, et vitatum omne ſtimuli, ſive ex po-

tione, ſive ex motu, ſive e mente, genus, adhibes, et horum potentiam morboſi adfectus vehementiae adcommodas? Si hoc igitur ita eſt, quorſum, in re certa et comperta, diagnoſticorum volumina, noſologicae ſine fine diſtinctiones, quorſum illuſtria Baglivii et Sydenhami nomina jactantur? An contra rationem claram, rem manifeſtam, auctoritas valere debet? Hoccine Verulamius docuit, Neutonus firmavit? Quis auctoritati Sydenhamo, qui toti medicorum ſeculo ſolum ſe, ratione ſolida tutum, opposuit, magis aut fidentius rebellis? Quorſum illa imitatio pertinet? Nonne ut, ſine fine diſcrepantium morborum notione recepta, pariter diſcrepare auxilia judicentur? An hoc

hoc verum, et non prorſus, ut modo relatum?

Conſtituta ſic ſynocha, et ad eam memoratis morborum titulis revocatis; eundem ſtatum, qui morbus eſt, iiſdem noxis ſubortum, iiſdem auxiliis tollendum, praecedere, cum novae doctrinae conditor reperiſſet, hanc quaſi ſolis demum orti lucem arbitratus, jam totam morboſi adfectus ſpeciem penitus perſpectam habebat, nullum locale in opportunitate vitium, contra univerſi corporis, pariter ac in morbis, adfectum, omnium actionum conſiderato ſtatu, cernebat, eoque nullum partis ſtatum principem, ſed communem toti corpori, ſemper ſubeſſe, ſtatuebat. Qua in re rurſus ad adverſariorum experimenta provocat. Ecquis ſubito in peripneu-

moniam, non noxis, quae morbum concitant, opportunitatem prius conflantibus, incidit? An in hanc Indus Brahmanianam in victu religionem secutus, hac subito violata, crapulaeque se dedito, pariter ac Anglus, victu solito phlogisticus, subito implicabitur? Ecquis medicus, paulo prudentior, paulatim diathesin phlogisticam accedere, et prius quasi morbi semen jacere, dein hunc lentius maturare, negabit? Et, quanquam ob propriae materiae naturam, eruptio in exanthematis, quae levis omnino proprietas est, non repetit, an synocha cum diathesi phlogistica, in qua verum periculum situm, non toties repetere, quoties causa incitatio nimia, putanda? Si hoc verum, certum, compertum, quid sententiae

tiae hic capitali, qua totam hanc morboſam ſpeciem in incitationis quadam ſerie ſitam, maximam juſtum morbum, minorem opportunitatem, mediocrem ſecundam valetudinem, facere, propoſitum eſt, ſolidi objici poterit? Si non, Nonne incitationis nimiae ſeries in fine libri ſtatuta recte in diagnoſticorum et diſtinctionum noſologicarum locum ſuffecta? Et vero infinitus error jure mutatum concedetur? Nonne inde occurrere morbis, aeque ac mederi, et unicuique formae idoneam auxiliorum eorundem potentiam, non alia aliis, accommodare, cum magno fructu, diſcetur?

Denique, locales adfectus a communibus, quos omnis hactenus recepta doctrina, magiſque et pertur-

batius noſologia, conjunxerat, ſeparando, et quam diverſi omnibus rebus eſſent, commonſtrando, magno artis fini, curationi, prudentiſſime proſpexit. Quo enim modo, qui toto coelo inter ſe diſtent adfectus, eos ſub uno ordinis titulo, quaſi uni et iidem eſſent, tractaſſe, non ad opinionem, quae pariter communem curationem eſſe ſtatuat, recta pernicioſeque perducat?

Reductis ad idoneum naturae, unde arte mala divulſa erant, locum exanthematis et phlegmaſiis; qualis haemorrhagiarum, quae cum molimine profluvium habent, natura eſſet, dein contemplantem, pulſuum frequentia, minus robur, imbecilliores omnes, quam in expoſitis phlogiſticis morbis, actiones, noxae phlogiſticae leviores praecedentes,

dentes, leviora debilitantia medentia, minorem quoque in his diathesin phlogisticam esse, et huic sanguinis abundantiam, tam propter modo expositas causas, quam quia minus cibi ante accipi, et potestates concoquentes minus valere, solent, respondere, citoque, quicquid diatheseos phlogisticae primum subsit, id curatione et profluvii saepius repetentis vi decedere, profluviumque prius non phlogisticum, dein asthenicum fieri, magisque ad priorem, quam alteram speciem, pertinere, submonebant. Quo ille judicio plethorae, quam vix quisquam addubitaverat, exitioso proventui, post strictum semel scalpellum sine fine sanguinis profundendi consuetudini, cum manifesta generis humani salute,

feliciter

feliciter obviam ivit. Et quidni? Si enim ſanguinis abundantiam in phlegmaſiis vehementioribus maximo ſtimulo pulſus et alia ſymptomata, minutam copiam maximo levamini curatio, declarant; qui fieri poteſt, ut major, quam in iis morbis, copia in vaſis cum minore hic effectu lateat? Et, poſt admotam penuriae cauſam certam, unde ex nihilo materiae creandae corpori poteſtas ſuppetat? Non ita eſſe, rationes expoſitae, ſolaque pathologia phlogiſtica, curatio antiphlogiſtica, medicis, docente magno viro nota, oſtendebant, et haec erroris ſimul originem detegebat. Haemorrhagiis igitur inter priorem et alteram morborum ſpeciem, ſub hac eodem, ſub illa haemorrhaearum vocabulo, diviſis, magnum

num curationi malae remedium adhibuiſſe, et phlogiſticorum morborum rationem ſimul et uſum, disjectis ignorantiae vaporibus, illuſtraſſe, et in proprios ſines hanc ſpeciem coegiſſe, videbatur. Qua in re ſententia illa, qua corpus alienis ſemper ſtimulis, ſuiſve actionibus, eadem vice fungentibus, regi, et nulla proprios motus conciendi facultate praeditum eſſe, proponitur, plurimum eſt adjutus. Cujus quidem occaſionem ex experientia ſimul et obſervatione, cum brevi temporis ſpatio, et eodem ſaepe die, phlogiſticam diatheſin aſthenicae cedere animadvertiſſet, et huic contrarium accidere, traxit. Sic catarrhus, ſic cynanche tonſillaris, quin et ipſum laborante vultu eryſipelas, inedia, et alvi purgatione

tione tractata, saepe in podagram, quae debilitatis morbus esse dicetur, brevi transire observata erant, Quin et hoc maxime tempore in puero, qui gravi catarrho et violente tussi laborarat, adeo jejunio fractum morbum, minutam incitationem, ut justa typhi facies, innumerabilibus fere pulsibus et languente toto corpore manifesta, superveniens, vino sublevanda esset, observavit.

Postquam sic a phlogisticis morbis haemorrhaeas recidendas statuerat, eodem modo phlegmasias ipsas, partim ipsarum violentia, partim debilitante curationis opere, diathesin phlogisticam, ut in cynanche tonsillari, qui saepius repetiverit, et in rheumatismo, prorsus perdere, et asthenicos fieri morbos, saepe

ſaepe conſpicatus, eas quoque ad alteram ablegandas ſpeciem putavit, quippe quas debilitantibus noxis naſci, in debilitatis ſtatu ſitas eſſe, et non ſanguine miſſo, non purgatione, non antiphlogiſtica adminiſtratione, ſed ſtimulantibus et excitantibus auxiliis, tolli, comperiſſet.

Iis igitur utriſque morbis phlogiſticorum numero detractis, et ab his rurſus amentia, inquietudine et macie, in debilitate poſitis, rejectis, prioris ſpeciei finem, poſterioris initium, nimiaeque et deficientis incitationis limites proximos, integra ſalute et ad utramque ſpeciem opportunitate mediis, deprehendiſſe ſe videbat.

Qualis altera morborum ſpecies ſit, ubi omnes rationes, omnem

curationem,

curationem, in contrarium prorſus vertit, et quibus quaſi gradibus ad ejus cognitionem pervenerit, in altero volumine, quod propediem lucem videbit, exponetur.

Per totum hoc opus, nuſquam infra ejus decus, in ſingulorum hominum animadverſiones eſt deſcenſum. Opiniones, propter auctorum famam nuſquam fere non ſuperſtitioſa credulitate receptae, liberaliter refutatae. Cujus rei ſalutis humanae reverentia ſupervacuam omnem excuſationem facit. Ab altera parte vilis vulgo palpandi ambitio, et aliqua in popularem ſententiam contra propriam flectendi mos, juſto magis a ſcriptoribus hoc tempore uſurpatus, quanquam cum acerrimis hominum praejudiciis ubique certamen erat,

et

et conciliandae gratiae, favoris comparandi, neceſſitas aliqua eſſe videri poterat, evitatus. Ne ſermonis quidem cultum, nec materiae ornatum, idem opus adfectat; utpote quod paucis menſibus, feſtinanter, ac tumultuarie, puris elegantiae priſcae monumentis per viginti annos vix tractatis, et omnibus, ne lectionis aliqua contagio perturbationis quid pareret, libris medicis per quinquennium clauſis, abſolutum ſit. Aliquid, ambitioſis ſive verborum ſive materiae tractandae ornamentis majus, movebatur. Infida medicinae fundamenta convellenda, firmiora collocanda, erant. Superſtruendae fabricae potius ratio propoſita, quam perfecta exſecutio. Quaſi ſtatuae,

rudis, poſt ſubtilius excolendae, et affabre perpoliendae, deſcripſio tentata. Ubique res, per experimenta et obſervationes exploratae, traditae; et ſumma rationis ſimplicitate deductae in uſum. Hac ſola ſe munivit ſcriptor. Haec ſola adverſus adverſarios clypeus, haec murus aheneus, erat. Quicquid recte, quicquid ſecus, dixerit, penes unumquemque judicii poteſtas facilis eſt. Ut a ſe ad argumentum legentium averterentur animi, ubique tertia perſona loquitur. Quae omnia cum ita ſint, una tamen ſollicitudo non defuit, ſcilicet, philoſophorum ad medicinam, unde aſperitate ſermonis, ineptiis rei, depulſi hactenus, videntur, curam convertendi, et prudentiſſimi cujuſque in arte viri,

a praejudiciis et inanibus ſcholarum rationibus alieni, quae magna Collegii Londinenſis laus eſt, adſenſus aſſequendi, minime mediocris cupiditas.

ELEMEN-

# ELEMENTA

# MEDICINÆ.



I. SECUNDA valetudo eſt omnium corporis et animi actionum jucundus, facilis, et juſtus uſus.

II. Morbus, omnium aut aliquarum exercendarum moleſtia, difficultas, aut perturbatio.

III. Morbi ſunt aut univerſo corpori communes, idiopathici dicendi, aut aliqua parte contenti, locales vocandi.

IV. Ad medici officium attinent illi omnes, et horum, quotquot ex propria ſede corpus latius adficiunt.

V. Opportunitas ad morbos eſt corporis ſtatus, a ſecunda valetudine ita recedens, ita ad adverſam vicinus, ut illius adhuc, quam inſidioſe ſimulat, contineri finibus videatur.

VI. In omnibus his ſtatibus (I. II. V.) homo et aliae animantes a mortuis ſe, aut alia quavis inanimi materia, ſola hac proprietate differunt, quod externis rebus, et quibuſdam ſui propriis actionibus, ita adfici poſſunt, ut propria ipſis vivis, ſuae actiones efficiantur.

VII. Id facientes, res externae potiſſimum et fere omnes, ſunt,

calor,

calor, aër, victus, chylus, sanguis, et hinc segregati humores (VI.)

VIII. Corporis ipsius actiones, eodem officio fungentes, musculorum contractio, et cerebri, in cogitando et adfectus ciendo, vis sunt (VI.). His sublatis, mors certa. Nihil fere aliud vitae necessarium.

IX. Proprietas (VI.) per quam haec (VII. VIII.) agunt, incitabilitas, ipsa potestates incitantes, dicenda.

X. Potestatum incitantium (VI. VII. VIII. IX.) effectus communis, sensus, motus, mentis actio, et animi adfectus, sunt.

XI. Quia manifestis impulsibus aliae suum effectum (X.) edunt, aliarum idem opus idem effectus arguit, eoque omnibus inesse vis

quaedam agendi videtur; inde Stimulatrices nuncupantur. Quin et, nullas ſedare, omnes ſtimulare, aut id agere, quod ſtimulare dicitur, mox fuſius monſtrabitur.

XII. Cum, ſine poteſtatibus incitantibus, propriae animantium vivarum actiones (X.) non exoriantur; ideo credita corporis vivi, ſuis actionibus moderandi, iiſque, quas poteſtates creant, contrarias faciendi, facultas, falſa eſſe ſequitur. Hinc febrium judicationes, intermittentium typorum explicatio, diurnus motuum circuitus, in manifeſta debilitate ſuboriens irritatio, ex ſpaſmo orta reactio, et vires naturae medicatrices, pro falſis rejicienda, aut diverſe explicanda, et inſidi artis fundamenti materia removenda.

XIII.

XIII. Poteſtatum incitantium, in incitabilitatem agentium, effectui incitatio vocabulum convenit.

XIV. Ut incitatio, ex poteſtatum incitantium ſtimulo, non ſine incitabilitate (VI. IX.), naſcitur, ita compoſitae hujus et illius magnitudini magnitudo ejus reſpondet, et, utrovis dato, alterius menſuram ſequitur. Puerum aut ſobrium potionis merae cyathus aeque, ac ſenem ebriumve uter juſtus, movebit.

XV. Quo magis poteſtates incitantes egerint, et incitationis plus creaverint, eo magis incitabilitatem exhauriunt, et, prae ſtimuli ſui magnitudine, ad minus uſque incitationis creandum valent. Vini potio hoc illuſtrat ſimul et con-

firmat. Sed et eodem pertinet omnium poteſtatum opus.

XVI. Contra, quo imbecillior poteſtatum actio fuerit, minuſque incitationis pepererit, eo plus incitabilitatis intus erit, datuſque poteſtatum ſtimulus incitationis plus movere, pro magnitudine ſua, poterit. Vini parcior potio, et omnium poteſtatum, tenuiter incitantium, opus, hoc liquido declarant.

XVII. Quoniam incitabilitatis aliquantum, utut exiguum, ſemper in vita ſubeſt, nec poteſtatum incitantium actio validior, imbecillior, unquam deeſt; omnibus igitur vis ſtimulatrix, major, minorve, nimia, juſta, deficiens, ineſſe judicanda. Magna ſanguinis copia nimis ſtimulat, eoque morbos, in nimio ſtimulo poſitos, concitat.

cïtat. Sed ejuſdem penuria, quamvis debilitans, et morbos, quos debilitas cauſa continet, inducens, etiam ſtimulare intelligenda. Tantum eo minus ſtimulat, quo major ſit. Eademque omnium poteſtatum incitantium ratio. Quae, cum ſolae fere animantium corpora adficiant (VI.), ſolae quoque, cum nullius momenti, quae videtur, et non eſt, exceptione, omnia ſecundae adverſaeque valetudinis, et ad hanc opportunitatis, denique omnia vitae propria (VI.) éfficiunt; et, ſi ulla in re, in omni ſtimulant. Exceptio probabilis modo relata contagiones et venena quaedam ſpectat. Sed

α. Venena aut non faciunt idiopathicos, de quibus hic agitur, morbos, aut, ſi faciant, idem, quod commu-

communes poteſtates, agendo, e-
juſdem effectus arguuntur.

β. Contagiones, aut nihil amplius agunt, quam ut, ſui quaeque morbi, propriam formam dent, communibus poteſtatibus juſtam cauſam ſolito more abſolventibus: Aut, ſi cauſae quoque ullo modo participes ſint, earum opus a communium poteſtatum opere, nulla re cujuſquam momenti, differt. Sine diatheſi phlogiſtica, quam communes poteſtates creant, variola morbi modum non aſſequitur. In eadem diatheſi rubeolae omne periculum. Ipſa peſtifera contagio ſine noxis debilitantibus, quae communes poteſtates ſunt, non ſatis ſtimulantes, ſuo morbo inhabilis inferendo eſt. Denique, nulla auxilia praeter ea, quae, pendentibus

tibus e communium poteſtatum opere, morbis medentur, a contagionibus illatos tollunt. Jamdudum materiae contagioſae corrigendae, aut corpore ejiciendae, opinio conſenuit, matura demum tumulo. Poſtremo, magna debilitandi in quibuſdam contagionibus vis non magis, quam e frigore, quod ſtimulus notus eſt, par aut major debilitas ſuboriens, ſedantem actionem arguit.

XVIII. Ut omnes poteſtates incitantes perpetuo ſtimulant, ita incitatio, e ſtimulante earum opere pendens, duabus conditionibus finitur.

XIX. Altera eſt exhauſta ſtimulo vehemente incitabilitas. Nam omnes poteſtates incitantes eo magnitudinis ſtimulatricem vim perferre

ferre poſſunt, ut nulla deinde incitatio exoriatur. Quod ideo ſit, quia corpus vivum ſtimulo amplius recipiendo impar evadit, alio verbo, conſumpta incitabilitas eſt. Nulla poteſtatum incitantium non hunc effectum trahit. Exemplo ſint idem, quod ante, vinum (XV.), curſus, calor, ſatietas, ſenectus.

XX. Hic incitationis, exhauſta ſtimulo incitabilitate, finis vel pro tempore, vel extremus, eſſe poteſt, et vel e brevi ſtimuli magni mora, vel minoris diuturnitate, naſci. Illinc ebrietas, ſudor, languor, laſſitudo, crapula, ad morbos in debilitate poſitos, opportunitas, ſive ipſi in junioribus; hinc in ſenibus debilitas, hujus notae morborum periculum, ſive ipſi; utrinque mors.

mors. Ejuſdem rei perpetuus effectus debilitas eſt, indirecta nuncupanda; multorum morborum, ex debilitate pendentium, quae ſaepe a plethora et vigore fieri creduntur, origo.

XXI. Idem effectus (XX.) non earundem poteſtatum prius ſtimulanti, dein ſedanti, operi tribuendus; quia nulla earum ſedat (XVII.); et eandem poteſtatem, in eandem rem agentem, alia opera facere, id eſt, ex eadem cauſa alios effectus fluere, naturae legibus diſcrepat: Quin et vulgo credita corporibus animatis inſita, nimios motus, ut noxae futuros, cohibendi, et contrarios ciendi, facultas, ex Stahliana doctrina ſumpta, ſupra (VI.) refutata eſt. Poſtremo, quod ſic explicatum eſt, id,

exhauſta

exhaufta excitabilitate, folum explicabile.

XXII. Altera conditio, incitationem finiens, eft poteftatum incitantium minor jufto, eoque incitando impar, ftimulus. Qui cafus, cum, ftimulo minimo, incitabilitate abundantiffima, infigniatur, ab altero, ubi haec nulla, ille maximus, item, ob ufum, diftinguendus. Omnes poteftates incitantes adeo deficere ftimulum poffunt, ut hoc faciant. Sint exemplo potio aquofa, quies, frigus, fames, infantia.

XXIII. Abundat hic, quia, fubducto ftimulo, non exhauritur excitabilitas (XVI.) Sic in frigida aqua, deficiente ftimuli fumma, incitatio imminuitur, incitabilitas, ut ftimulo minus confumpta, pro rata

ta

ta parte augetur. Remota aqua plus incitationis, quam ante illam admotam, exiſtit ; quia ad ſtimuli, quae ante fuit, ſummam, incitabilitatis ſummopere auctae effectus additur (XVI.). Eandem omnes poteſtates, tenuiter ſtimulantes, eoque, debilitantes dicendae, rationem recipiunt.

XXIV. Corporis ſtatus, debili hoc ſtimulo creatus, directa debilitas eſt. Quam in morbis, tonicam requirentibus, antiphlogiſtica curatio, prave adhibita, cum magno malo parit.

XXV. Poteſtates, incitationem exhauſta incitabilitate, finientes, indirecte vel eventu ; quod ipſum, ſtimulo deficiente facientes, recta, debilitantes, dicendae ; nimio ſtimulo

mulo incitantes, proprie ſtimulantes nominandae.

XXVI. Ut poteſtatum incitantium effectus, incitatio, ſic (XVIII. XIX. XXII.) finitur; ita non perdunt tamen ſtimulandi proprietatem; quod ejuſdem ſtimuli, in aliis incitabilitatem exhauriens, vis, in aliis non exhaurit; in aliis incitando impar, exiguitas, in aliis par, reperitur. Nec hoc utrumque non de eodem homine alias dicendum. Illud ebrietas, hoc frigus, illuſtrent. Varians effectus e variante incitabilitate, non deſinente ſtimulo, petendus.

XXVII. Incitatio, poteſtatum incitantium operis menſurae index, idonea proſperam, nimia aut deficiens adverſam, valetudinem, vel ad hanc opportunitatem, facit. Nulla alia corporis

corporis humani vivi, rite ſecuſve valentis, conditio; morborum nulla alia origo: Nam, valetudinis ſtatum ab incitatione conſtitutum datumque, firmorum ſimplicium pariter et humorum ſtatus ſequitur. Adfectus partium aut inſtrumentorum vitia ab hujus, ſolos univerſo corpori communes (III.) morbos tractantis, hoſque ſecundae valetudinis ſtatu illuſtrantis, doctrinae propoſito, aliena recordandum.

XXVIII. Hoc (XXVII.), omnium poteſtatum incitantium, (XI. XVII.) ſemper, et tantum plus minuſve, ſtimulando, et ſic incitando, agentium, opus; hoc actiones corporis (X.) hoc auxiliorum, de quibus poſtea, ſemper nimio ſtimulo deficientem, deficienti nimium, in ſalute reducenda,

da, opponentium, (LXXV.) effectus, declarant.

XXIX. Alium ſanum, alium morboſum, ſtatum eſſe, reſpuit idem utrumque facientium aut depellentium opus. Hoc non viſo, capitalis ubique error.

XXX. Nati ex immodica incitatione morbi, phlogiſtici nominantur; quos deficiens creat, antiphlogiſtici ſeu aſthenici vocandi. Illos Sydenhamus, magna curationis parte tenus, bene, pejus in ſcholis docentes, hos nemo, intellexit. Hinc duae morborum ſpecies.

XXXI. In quam (XXX.) utramque opportunitas ſemper praecedit (V.).

XXXII. Praeter has morborum et opportunitatum ſpecies, nullus morbus toti corpori inhaerens, nulla opportunitas, ſunt. Quod arguunt

arguunt eaedem poteſtates, quae quemvis morbum, opportunitatem quamvis, etiam totam, ad quam pertinet, ſpeciem, utrinque facientes; eademque auxilia, quae cuivis morbo aut opportunitati, omnibus quoque ſpeciei ſuae, hinc inde medentia. Morbis et opportunitatibus oppoſitis (XXX. XXXI.) media, et in neutram partem declinans, integra ex toto valetudo.

XXXIII. Poteſtates incitantes, quae ad morbos phlogiſticos (XXX. XXXI.) opportunitatem aut ipſos faciunt, phlogiſticae, vel proprie ſtimulatrices, adpellandae; contra, ad aſthenicos viam ſternentes, vel ipſos creantes, aſthenicae, antiphlogiſticae, ſeu debilitantes, nuncupandae. Corporis ſtatus, illos aut in eos opportunitatem dans,

diathesis phlogistica; hos, cum iis propria opportunitate, praestans, antiphlogistica vel asthenica, nominanda. Utraque diathesis opportunitati cum morbo communis status est, magnitudine tantum varians. Utramque ad morbi modum tollentes potestates incitantes, noxarum excitantium vocabulo, distingue.

XXXIV. Incitabilitatis in animato corpore sedes materia nervosa medullaris, et firmum musculare, ubique est, genus nervosum dicenda. Cui insita incitabilitas non in alia sedis parte alia est, nec ex partibus constat, sed una toto corpore et indivisa proprietas. Quod sensus, motus, et animi actio, protinus, temporis puncto, nec ulla succedentis operis serie, a potestatibus incitantibus effecta, firmant.

Humor

Humor nervofus, omnifque ejus, etiamfi vera deprehendi poffet, opinio, nulli ufui, multae noxae, arti funt.

XXXV. Hujus generis nervofi, (XXXIV.) non incitabilitatis, quae partibus caret, alii parti alia poteftas incitans, nulla omnibus fimul, admota, omnem tamen incitabilitatem omnis protinus adficit, nec iter quafi per corpus facit cujufquam poteftatis opus.

XXXVI. Earundem poteftatum unaquaeque femper aliquam partem magis, et alia aliam, quam caeteram quamlibet, adficit; fed ita tamen, ut partis adfectum toto corpore diffufus longe fuperet.

XXXVII. Quantum pars magis laborans, quantum reliquum omne corpus, adficiantur, illius adfectu cum tot minoribus conjunctis, quot

pares

pares reliqui corporis partes ſint, comparato, aeſtimaveris. Sit major partis adfectus ut vi. uniuſcujuſque paris partis minor ut iii. Minus laborantium partium numerus eſto M. Tum, parte contenti adfectus, ad totius reliqui corporis adfectum, ratio erit ut vi. ad tria millia. Quod, aut ei ſimillimum aliquid, noxae excitantes (XXXIII.), in totum corpus ſemper agentes, et illarum toto corpore effectum auxilia depellentia, in omni morbo idiopathico (III.) evincunt.

XXXVIII. Sic ſummum corpus frigus, ventriculum aut reliquum canalem eundem victus, vaſa ſua ſanguis et reliqui humores, cum vaſis muſculorum fibras labor quieſque, et cerebrum animi

animi adfectus ac cogitandi vis, quodque magis, quam parem caeteram partem, commovent. Hinc in morbis, ut quemque locum aliqua poteſtas incitans maxime premit, ita is maxime quoque, et prae caetero quovis, adſicitur. Hoc utriuſque morborum ſpeciei (XXX.), utrique reſpondentis opportunitatis (XXXI.), atque ipſius ſecundiſſimae valetudinis, ratio confirmat.

XXXIX. Majorem partis incitationem, effluens primum exercitati fronte in ſecunda valetudine ſudor, in morbis inflammatio, vel ad hanc vicina adfectio, ſanguinis percitati profluvium, delirium ferox, cohibita perſpiratio; minorem, nimia haec, ſudor, maxime frigens et ſpiſſus, aliae excre-

tiones

tiones fusae, spasmus, convulsio, nervorum resolutio, mentis imbecillitas, confusio, aliud aliam partem adfectantia, declarant.

XL. Ut potestatum communium, sive nimis, sive juste, sive parum, incitantium, opus aliquantulo magis in partem aliquam, quam reliquarum quamvis, dirigitur; ita id ejusdem in illa parte, ac in reliquis, generis sit, pariterque, ac commune, aut superet, aut conveniat, aut deficiat, sed nunquam ei contrarium opponatur, necesse est. Nam, cum eaedem potestates incitantes, idem ubique corporis id quod adficiunt, nempe, incitabilitas, sint (XXXIV.), inde quoque idem effectus non ubique profluere non potest. Nulla hic, nisi magnitudinis,

nitudinis, differentia; nec ex una caufa diverfi effectus effe poffunt.

XLI. Morborum igitur idiopathicorum (V.) fedes nullis, ut vulgo perhibetur, pars, omnibus totum corpus, eft, quia, cum inaequalitate (XXXVI.) relata, in omnibus univerfa incitabilitas (XXXIV.) adficitur.

XLII. Nec partis, magis laborantis, quae fola laborare falfo credita eft et creditur, affectio prima eft, dein per reliquum corpus diditur; quoniam, cum primum adfecta ubivis incitabilitas eft, ubique protinus, quia una et indivifa eft, adficitur (XXXV.).

XLIII. Utramque (XLI. XLII.) rem confirmant nullius poteftatis incitantis (VII. VIII.) opus non omnia corporis aeque cito, ac partem

quam-

quamlibet, commovens, adfectusque morbosi in toto corpore, aeque mature, ac in ulla parte, et saepe prius, prodeuntes. Quod ut certum et exploratum est, ita, quo modo aut lentor aut spasmus, extrema vascula occludens, a potestatibus, quorum opus universo corpori commune est, incitantibus, oriri possit, neque firmari, neque concipi animo, potest. Quo modo cujusvis potestatis incitantis effectus in aliquam partem solam dirigatur? Aut, si in reliquas quoque, quod demonstratum est (XXXV.), dirigitur, quo modo illam solam, et non has simul et eodem opere, ut semper aliàs, adficiat? An nimia, aut deficiens, incitatio, quae insitam toti corpori incitabilitatem adficit (XLI.), in oppor-

opportunitate adparens, poſtquam eam magnitudinem adepta eſt, qua jam morbo faciendo par evadat, et jam facere hunc incipiat, in unam omnis partem ſubito et velut inſaniens tranſire, excitatoque illic adfectu, per hunc, et non recto ſuo opere, reliquum adficere corpus, poſt explicatam tandem rei naturam, ſerio putanda eſt?

XLIV. Omnis loco contentus, quantumvis formidabilis, in morbis idiopathicis, adfectus, adhaerentis toti corpori pars tantum habendus, et non in locum, ſed corpus latius, auxilia dirigenda (XXXVIII.): Niſi quod, levato his jam communi malo, quoties vitae neceſſarius locus laboret, ei ſeorſim, ſi facultas detur, ſubvenire liceat.

XLV. Omnis, ſub utravis morborum ſpecie adparens, partis adfectus, qui ad aliquam cauſam, in eam partem agentem, referri nequeat, e communi cauſa pendere, intelligenda (XXXVI.). Non igitur augeri in parte incitatio ſub imminuta communi, nec, hac aucta, imminui, exiſtimanda. Eoque ſpaſmus et convulſio (XXXIX.), debilitatem toti corpori communem, ſemper comitantia, nunquam in contrario morborum genere adparentia, ac, niſi tranſeunte, aut jam verſa, in indirectam debilitatem nimia incitatione, ne quidem ſequentia, non a nimia partis, iis adfectae, actione eſſe, credenda: Nec languor et laſſitudo, morbos phlogiſticos initio inſignientia, et a debilitate pendere vulgo judicata, e deficiente

te muſculorum vi actrice naſci, ducenda. Non enim contrariae cauſae eidem corpori eodem tempore dominari cenſendae. Spaſmum et convulſionem, item languorem et laſſitudinem, inde eſſe, unde communia, quibuſcum utraque conjunguntur, ſymptomata, hinc patet, quod illa, pariter et communia, poteſtates debilitantes faciunt, ſtimulantia auxilia tollunt; haec, aeque ac communia, a ſtimulantibus concitantur, debilitantibus tolluntur. Ergo, qui nuper invaluit, non innocuus, error auferendus.

XLVI. Quoties adfectus, qui aut nimiae aut deficientis incitationis ſigna comitari ſolent, vel ſoli vel inter contrariae, ut videantur, ſignificationis notas, adparent, vel contrariae

ſignificationis eſſe effectu ipſi videntur, ii ſolitae cauſae tribuendi. Non enim alia cauſa eundem effectum alias parere arbitranda. Raucedo ſaepe ſola adparere videtur, aliquando morbos diverſae, ut credas, notae comitari. Quam in utroque caſu ab aucta toto corpore incitatione pendere, calor, victus, exercitatio, eam, nimis ſtimulando, creantia, frigus cauto poſt calore, inedia, et quies ſolventia, indicant. Similiterque ſaepe dolorem immanem, non inflammatio, non ad hanc vicinus, et eandem curationem requirens, ſtatus, ſed ſpaſmodicus adfectus, ubi concitat, in hoc quamvis obſcuro, cauſa, non in inflammatorio adfectu, quamvis veriſimili, quaerenda; et a ſtimulo, non ſanguinis profuſione, auxilium petendum.

dum. Quo neglecto, aut parum intellecto, praecepto, in pessimam curandi rationem vulgo itur. Cui pravae curandi mori, idoneum actiones auctas imminutasque inter et causas discrimen statuendo, et incitationis verum statum a fallace, qui sub quibusdam rebus adparet, dignoscendo, medendum.

XLVII. Se contrahendi, qua fibrae musculares praeditae sunt, facultas integra et valida, quemadmodum ab incitatione pendet (IX.), ita hujus magnitudini respondet. Hoc, omnia secundae adversaeque valetudinis signa, omnia potestatum incitantium et auxiliorum opera, confirmant.

XLVIII. Contrahendi igitur sine vi facilitas, quae mobilitas vulgo dicitur, nulla est aut esse

poteſt. Poteſtatem enim motricem ſimul imminui, et promptius tamen motus peragere, perpetuae rerum legi repugnat. Itaque tremor, convulſio, et quaecunque ſub hac adfectio comprehenditur, ad debilitatem cauſam rejicienda, a ſtimulantibus petendum auxilium (XLV.). Noxa excitans nimius parti ſtimulus eſt.

XLIX. Non excipienda contractionis, ſpaſmum faciens, magnitudo. Quam diuturnam et mancam actionem (XLVI.), potius quam magnam, eſſe, et, quantum magna contractio eſt, a locali diſtentionis, aut alicujus rei hanc referentis, ſtimulo pendentem, in imminuta incitatione conſiſtere, robore deſtitui, et ſtimulantibus auxiliis tolli, poſtea demonſtrabitur.

L,

L. Ut contractionis, quantum ſincera actio eſt, magnitudo ab incitationis magnitudine (XLVII.) pendet, et cum robore conjungitur; ita, hoc indice, fibrarum contractricium, pro firmis ſimplicibus habitarum, denſitas, contractionis menſuram ſequi, addiſcitur.

LI. Incitatio igitur etiam denſitatis cauſa eſt: Quam eo auctiorem uſque, quo ipſa major ſit, a furibundo robore, et huic reſpondente denſitate, ad eam, quae in mortis articulo, in morte ipſa, poſtque hanc cernitur, debilitatem cum laxitate reſpondente, per omnes medios quaſi gradus, praeſtat. Quod ita eſſe, earundem fibrarum, mortuarum debilitas, vivarum robur, cujus differentiae ſola cauſa

principium

principium vitale, ſeu incitatio, agnoſcitur et certa eſt, evincunt.

LII. Hinc (L. LI.) vaſorum cava ſub robore decreſcere, ſub debilitate augeſcere, per totos illorum tractus, ubique corporis, intelliguntur. Et indidem quoque perſpirationis imminutae aut ſuppreſſae vera, ſpaſmo, aut factae frigore adſtrictioni, vulgo tribui ſolita, cauſa demum patebit.

LIII. Ex ſupra (XV.) dictis, is corporis ſtatus, in quo ad morbos phlogiſticos opportunitas poſita eſt, eo vigoris plus, quo major incitatio ſubſit, ita creare, actiones ita augere intelligitur, ut harum vigor minus diuturnus ſit, citiuſque ad finem, propter ſtimuli, magis uſque magiſque incitabilitatem exhaurientis, magnitudinem, perveniat.

Hinc,

Hinc, admoto forte validiore ſtimulo, citior quam in proſpera ad amuſſim valetudine, virium defectus; novo ſtimulo priorum ſummae effectum ad indirectam debilitatem, nimii omnis vigoris metam, rapiente. Sic luxu et deſidia pleni, vegeti, eoque habitum phlogiſticum habentes, parce et laborioſe viventibus, ſed recte prorſus valentibus, eodem conatu facilius defatigantur. Quae res, cujuſlibet ſtimuli opere pariter illuſtrari, pariter firmari, poteſt. Ut plus igitur vigoris, ita ſinceri et uſui apti minus, haecce fert diatheſis.

LIV. In eadem, ut incitatio aliquanto ſemper juſtae modum ſuperat (XX.), ita aliquanto plus debito, omne temporis punctum, incita-

incitabilitati demit, hujusque summam, unicuique vivere incipienti tributam, citius consumit. Hinc, quae breviore manifestius et citius, ea longiore tempore, clam, furtim, paullatim, caeco gradu, et quasi ex insidiis, indirecta debilitas incidit. Ab hac pendentium morborum origo medicos, opportunitatem, unde solum cognoscenda erat, parum intueri solitos, fefellit. Hoc igitur nomine diathesis phlogistica, quamvis lenior, et a sano statu minus remota, suspectui tamen habenda.

LV. Ejusdem diatheseos incitatio, quantum a cibi stimulo est, eo magis ad indirectam debilitatem impellit, quo deprimat magis degravetque, et sic aliorum stimulorum augeat effectum.

LVI. In opportunitate ad morbos aſthenicos incitatio, deficiente aliquantum ſtimuli vi, integrae ab omni parte valetudini praeſtandae parum ſufficiens, actiones recta debilitat, quia minor ipſius defectus eundem tandem, quem citius maximus, effectum trahit, et impare vitae tuendae imbecillitate demum interimit.

LVII. Idem incitationis defectus, quantum deficiens cibi ſtimulus eum tulerit, hoc etiam directam (LVI.) debilitatem intendit, quod telam celluloſam, qua incitationis, quod exiguum ſubſit, opus contineatur, malignius ſuppeditat.

LVIII. Haec diatheſis, quam deficiens incitatio vel vitae principium facit, multo magis, quam altera, metuenda: Quippe quae

recta

recta et propediem ad eum ſtatum, in qua mors poſita, deducat. Nec eadem hoc etiam nomine non pertimeſcenda, quod, phlogiſticae ſuccedens, et directam cum indirecta debilitate miſcens, utriuſque noxam duplicat. Sic podagram, ab indirecta debilitate tardius et longiore temporis ſpatio profectam, directa certius excitat. Et, quoties aſthma, epilepſia, paralyſis et apoplexia ex eadem origine ſunt, ſanguinis detractio et curatio antiphlogiſtica, quae, in plethora et vigore cauſa vulgo poſita, tractantur, directam indirectae debilitati adjiciendo, et tanto plus debilitando, igni oleum addunt (XXIV.).

LIX. Cum diatheſes (LIII. LVI.) quantae, in ſua utraeque opportu-

opportunitate, eſſe ſolent, phlogiſtica, ad pendentes e nimia incitatione morbos recta, eventu ad eos quos indirecta debilitas creat; antiphlogiſtica recta, ad poſitos in hac ruant; utraque debilitatem, illa tardius, et multis ſaepe annis elapſis, haec celerrime, ac totidem menſibus aut diebus, efficiant; illius futurus, hujus praeſens et inſtans, effectus metuatur; affinior morti recta, quam indirecta debilitas aut vigor, ſit; denique incitationi demere, quam addere, facilius medicus poſſit: Ob has cauſas, antiphlogiſtica, quam phlogiſtica, diatheſis, opportunitatis non excedens fines, in tuenda ſecunda valetudine, adverſa prohibenda, majori curae ſit oportet.

LX. Cum pendens e poteſtatum incitantium opere incitatio, paulo major, et alicui valetudinis ſpeciei adhuc conveniens, morando longam, ad morbificam vehementiam provecta, brevi acutam, debilitatem, incitabilitatem imminuendo, dein exhauriendo, faciat; et, ante extremam magnitudinem, nimium vigorem, et in hoc opportunitatem et morbos poſitos, nimis incitando, creet; inde juſtam, quanta undique ſanis ſubeſt, valetudini ſervandae, vitae producendae, et idoneis corporis et animi actionibus praeſtandis, convenire ſolam patet. Qua juſta incitatione firmata, aeterna generi humano ſalus foret, niſi duplex res, deinceps referenda, obſtaret.

LXI.

LXI. Altera incitabilitatis ſumma quaedam eſt: Quae, in aliis animalibus alia, item eodem genere eodemque animali aliàs, unicuique naſcenti certa et finita, datur. Haec pro tempore manifeſte, procedente vita nihilo incertius, ab omni ſtimulo, nimio, juſto, immodice, rite, incitante, uſque imminuitur, ac tandem exhauſta perit. Quo ſit, ut omnis incitatio, aſſidue datam incitabilitatis ſummam deterendo, poſt certum tempus, citius, ſerius, totam tandem abſumat. Haec una mortalitatis cauſa.

LXII. Verum, ut incitatio, citius nimia, juſta ſerius, incitabilitatem imminuendo, tandem vitam finit; ita, deficiens non, ut credas, ad hanc minorem quidem dan-

dam, ſed producendam tamen, pertinet. Nam ejus quoque aliquantum vitae neceſſarium, ſcilicet, valetudinem juſtam praeſtans, eſt. Quo minus omne, non ſatis incitando, vitae ſtatum ad eum, in quo mors ſita, propius accedere ſinit. Quae res alteram lethi januam mortalibus aperit.

LXIII. Si juſto major incitatio, morando incitabilitatem imminuens, id magnitudinis nunquam, quod ad morbos opportunitatem facit, ſuperet; ſine his mediis eam tempore magnitudinem nanciſci poterit, quae prius ad contrarios morbos opportunitatem faciat, dein horum aliquo interimat.

LXIV. Quem eventum deficiens incitatio (LXII.) etiam certius trahit. Utrumque dictum

firmat

firmat multorum aetas, leniter et tranquille procedens, nec ullo acutiore morbo interturbata. Hinc infirmitati et fragilitati senectus obnoxia.

LXV. Subito crescens incitatio, magnitudine nimia inductave eventu debilitate, praeceps periculum; subito decrescens lentius, aliquanto serius, aeque certum, minusque superabile (LIX.), minatur. Cujus utriusque periculi origini, illius, luxu et desidia vitatis; hujus, victu pleniore, remissiore labore, manente adhuc, si offeretur medico potestas, opportunitate, et, jam concepto morbo, adcuratius, obviam eundum.

LXVI. Quoniam eadem incitatio (XXVII. XXVIII.), eaedem potestates incitantes, secundam, ad-

verſam valetudinem, et ad hujus utramque ſpeciem opportunitatem (XXVII. XXVIII. XXIX.), magnitudine tantum variantia, faciunt, et multum ſecundae valetudinis incitatio ab adverſae diſtat; non igitur ad hanc illa protinus aſcendere, ſed per mediam opportunitatem ire, putanda eſt. Quod etiam certum et compertum. Nemo, ab omni parte valens, idiopathico morbo (III.) protinus implicatur.

LXVII. Morbos, in debilitate poſitos, quae creant contagiones hac obſervatione (LXVI.) non excipiendae; quia illi ſine debilitantibus non incidunt, et ſtimulantibus ſolis, pariter ac alii, poteſtatibus tolluntur. Quin et in ſtatu phlogiſtico, quem poteſtates communes ſtimulantes creant, debilitantes

ſolvunt,

ſolvunt, tota variolae vis poſita. Quae, quantum morbus eſt, eandem (XVII. β.) habet rationem. Nec, qui rubeolam inſignit, ſtatus phlogiſticus, a contagione omnis eſſe credendus, ſiquidem eo gravior morbus aut levior eſt, quo ſtimuli communis plus minuſve forte incubuerit, et a poſita in eo ſtimulo noxa certius caveatur. Si contagionis corrigendae aut ejiciendae falſa opinio comperta eſt, nec ullam, niſi antiphlogiſticam, curationem rubeola, quod aeque conſtat, recipit; ea principio (LXVI.) propoſito non obſtabit, cui congruenter ſuo loco explicabitur.

LXVIII. Si quolibet venena morbo non opportunos implicent, is, ob id ipſum, pro idiopathico non haben-

habendus, et hoc praeterea, quod ſolita idiopathicorum curatione neque tollitur, neque ſublevatur, cauſamque pariter et poteſtatem nocentem diverſam diverſus effectus arguit. Plerorumque venenorum ſola curatio ipſorum matura rejectio eſt. Quod ſi alia, inſtrumentum actionibus corporis neceſſarium vulnerando, agunt, eorum effectus ad morbos locales rejiciendus, a praeſente re alienus eſt.

## DE OPPORTUNITATE.

LXIX. Cum poteſtates ſecundam, adverſamque, valetudinem facientes, et hujus periculo objicientes, eaedem (XXVII.) ſint; ideo

deo alias periculum, alias morbos facere, alias hos ſine periculo, alias conjuncto cum id facientium opere, aut contra, creare, alias internas, alias externas eſſe, primo ſcientiae principio repugnat, capitali vero diſcrepat. Ergo

LXX. Poteſtates nocentes, ſeu cauſae occaſionales, vulgo quae dicuntur, nihil aliud ſunt, quam opportunitatis jam magnae, jamjamque in morbum tranſiturae, iiſdem, quae hanc fecerunt, poteſtatibus manentibus, effectus, haeve aliquantum, eadem opportunitate manente, viribus adauctae.

LXXI. Opportunitatem creantia, vulgo cauſae praediſponentes nuncupatae, ſunt omni ex parte communes poteſtates incitantes (VII.VIII.XXVI.XXVII.LXIX.), ea

ea magnitudine agentes, qua creare opportunitatem, non ad morbi modum aſſurgere, poſſint. Utraeque (LXX. LXXI.) noxae, excitantes (XXXIII.) dicendae, ut, a communibus bonae valetudini, utrique ad morbos opportunitati, utrique morborum ſpeciei poteſtatibus incitantibus (VII. VIII.), diſtinguantur.

LXXII. Nihil in poteſtatibus, ſive morbos facere periclitantibus, ſive facientibus, praeter illarum cum his, aut ſingularum inter ſe, comparatarum, magnitudinem, ſpectandum; eo conſilio, ut quantum, quaeque, ad nocendum poſſint, quantum omnium aut ſingularum, noxae demendae cauſa, utendum ſit, cernatur, eruaturque radicibus, infeſtus arti et

late

late patens, error, quo, ut quaeque poteſtas, incitandi magnitudine aut defectus, plus aliis noceat, ita eam ſolam nocere, alias nihil ad effectum conferre, vulgo cenſeatur.

LXXIII. Quo validius aut imbecillius poteſtates incitantes egerint, eo brevior aut longior opportunitas erit, et a ſecunda valetudine ad juſtum morbum temporis intervallum citius aut ſerius conficietur.

LXXIV. Opportunitatis ſcientia magni momenti eſt: Quippe qua ſola inſtructus, morbis occurrere, horum cauſam, in illa fundatam, comprehendere, et a localibus (III. IV.), longe aliis adfectibus, diſcernere, medens poſſis.

LXXV. Quoniam ex ſecunda valetudine opportunitas, ex hac morbus,

morbus, incitatione, et quae hanc creant poteſtatibus, iiſdem perſtantibus, profluunt (VI. XXVII. XXIX. XXXII.), haeque poteſtates totum corpus, ſed aliquantulo magis aliquam ſemper partem, adficiunt (XXXVI. XXXVII.); ideo cujuſque loci, magis laborantis, adfectus ad communem referendus, et pro hujus parte habendus. Nemo ejus aut originem aut curationem propriam, et a communi alienam, in quovis uno morbo idiopathico, monſtraverit.

LXXVI. Ergo nullus morbus, cui opportunitas, et poteſtatum incitantium id quod hanc faciat, non praeceſſerint (LXVI.), nullus, cujus adfectus, loco contentus, a communi ſupra repeti, pro hujus parte haberi, et iiſdem tolli auxi-

liis,

liis, nequeat, idiopathicis adnumerandus.

LXXVII. Rejiciendi igitur ex idiopathicorum numero, quantumvis horum ſimulatores, ſui diſſimulatores, ſunt, quotquot morbos quilibet loci ſtatus, a ſtimulis, a rebus debilitantibus, neutris totum corpus moventibus, a vulneribus, a loci compreſſione, occluſione, a propriis inſtrumentorum vitiis, ab aliis morbis, et non communibus poteſtatibus incitantibus (VII. VIII. LXXVI.), creatus, facit; quia noxis antecedentibus, cauſa, curatione, et omnibus rebus, ab illis differunt, nulla iis praeter fallacem et fallentem ſpeciem congruunt; et, eoſdem eſſe ponens, opinio morborum diſcrimina confundit, rationes perturbat, curationes pervertit.

Ingens igitur adfectuum, iis adnumerari solitorum, caterva, ab idiopathicis morbis segreganda. Quin nosologia, morbos pro symptomatis, et haec pro illis, recipiens, communes adfectus cum localibus permiscens, distantia naturâ conjungens, affinia dissocians, incerta pro certis, et contra, habens, atque a proprio artis negotio in nugas, errores, discrimina ficta, verorum neglectum, et rectam medendi usus perniciem, sine fine modoque, seducens, in cunis elidenda. Si ad duas species morbi (XXVII. XXX.) recte sunt redacti, mille esse nequeunt.

DE

## DE DIAGNOSI COMMUNI.

LXXVIII. Morborum vehementia et periculum pro incitationis nimiae, eventuve aut recta deficientis, magnitudine eſt, id quod omnia, ſupra relata, declarant; eoque potiſſimum inter ſe, hac incitationis magnitudine variante, differunt.

LXXIX. Adfectuum, qui communium, ſui quiſque, partes (XLIV. LXXV.) ſunt, ſedes, ſimiliter laborantes, nominum, diverſe, varietatum, diſcrimina praebent; ſed nihil, niſi levem curandi proprietatem, ſignificant. Eorundem adfectuum magnitudo nihil valet, ut nullam monſtrans differentiam.

LXXX. Sola cujuſquam momenti diagnoſis ea eſt, qua idiopathici a localibus (LXXVII.) aut ſymptomaticis adfectibus, totum corpus, cum quadam idiopathicorum ſimilitudine, perturbantibus, dignoſcantur. Ad quam peragendam, idiopathicum, de quo quaeritur, morbum, praecedens diatheſis, conſequens toto corpore ei conſimilis, et, ſi ſero ſapere lubeat, contraria auxilio futura, indicant; locale malum, partis primum adfectus, inde corporis perturbatio repetenda, morbi quem referat propria diatheſis, non, aut caſu, comitans, arguunt.

LXXXI. Utilem hanc ſcientiam quo certius conſequare, anatomes neceſſaria didiceris, in ſupervacuis tempus ne triveris, illuſtris Morgagnii opera verſes, cadavera

davera incidas, effectus superstites a caussis praeteritis dignoscas, laqueo aut vulnere peremptorum, alias sanorum, corpora diligenter, quam plurima, rimeris, haec cum eorum, qui longiore aut saepius repetente morbo perierint, corporibus sedulo compares, singula cum singulis, omnia cum omnibus, conferas, temeritatem opinandi primus fere caveas, prudenter judices.

LXXXII. Cum adfectus locales interiores saepe labes quaedam, ab idiopathicis morbis relicta, sint; ideo illos, quo rarius hi saepiusve antecesserint, eo minus magisve suspiciendos, ad recte dijudicandum pertinet.

## DE PROGNOSI.

LXXXIII. Quoniam diathesis phlogistica aut asthenica ad idiopathicos morbos opportunitatem hosve ipsos (XXXI. XXXII. XXXIII.) facit, et potestates diathesin utramvis facientes, semper in aliquem locum paulo magis agunt (XXXVI.); ideo, in opportunitate, morbi, in morbo, mortis, periculum pro diatheseos magnitudine, aut loci, magis laborantis, utilitate, erit. Sed, magnitudine data, diathesis, quam maxime aequalis, tutior. Quae nunquam necessarium vitae instrumentum, nisi instante periculo, paulo gravius urget. Hinc maxime, peripneumonia, erysipelas, apoplexia, podagra, formidini.

LXXXIV.

LXXXIV. Ab idiopathicis morbis locales cum ſymptomatis ſegregandi, et ſupra (LXXX.LXXXII.) monita huc transferenda.

## DE MEDENDI RATIONE COMMUNI.

LXXXV. Ut incitatio nimia diatheſin phlogiſticam, deficiens aſthenicam (XXVII.), pro exceſſus vel defectus magnitudine, per totum opportunitatis, totum morborum, ſtatum, in utraque ſpecie, facit (XXX. XXXI. XXXII.); ita medendi conſilium, illi imminuere, huic augere, incitationem (XXVIII.) eſt, eo uſque, dum id hujus, quod, iis extremis medium, (XXXII.), bonae valetudini convenit, reponatur. Nullum aliud conſilium

consilium in natura esse, infinita artis, alia aliis repugnantia, omnia discrepantia, hoc usui sufficiens, simplex, traditae supra doctrinae ab omni parte congruum, et certo demum, vel ipsum ignorantium, usu confirmatum, supra contradicendi licentiam, declarant.

LXXXVI. Cum, non aliae potestates, nedum genere et opere sine fine variantes (VII. VIII. XII. XXXII.), sed eaedem prorsus, eodem opere, et tantum dispare hujus magnitudine, nunc nimis, nunc parum, incitantes, illae diatheseos phlogisticae, hae asthenicae, causam peragant; ita easdem, eodem opere, sed contraria ei, qui causam fecerit, magnitudine, utramvis quoque diathesin, parum incitando phlogisticam, nimis sic agendo, asthenicam,

aſthenicam, ſolvere; ex utraque pendentibus morbis, illas phlogiſticis, has in debilitate poſitis, occurrere, mederi, et ſalutem reducere; ratione ſolida, quippe quam res omnes exploratae firment, et indiſſolubili copula ſequitur. Monſtra, ſi poſſis, e phlogiſticorum, quos noviſti, numero, quemvis morbum, quem eadem, quae reliquos, ſtimulantia non faciant, eadem debilitantia non ſolvant. Item, e morborum, in queis multum ab initio debilitatis videas, qui ſpecies hic aſthenica ſunt, quemvis media erue turba, eumque eadem debilitantia, ſive ſedantia, ſive aliter, nomines, quae ejuſdem notae reliquos, non creare, eadem ſtimulantia, ſeu quodcunque vocabulum malis, non ad tollendum vel levandum pertinere,

nere, ſi potueris, edoce. An peripneumoniae et rubeolae, a paralyſeos pure aſthenicae, et hydropis, cauſam et curationem funditus differre dixeris?

LXXXVII. Auxilia igitur diatheſeos phlogiſticae ſunt poteſtates (VII. VIII.) debiliore, quam qui ſecundae valetudini conveniat (XXVII. XXXII.), ſtimulo incitantes, debilitantia, compendii cauſa, in curatione dicenda.

LXXXVIII. Diatheſeos aſthenicae auxilia ſunt poteſtates validius, quam ut optimae valetudini congruant, incitantes, ſtimulantia, quo commodius ab alteris (LXXXVII.) diſtinguantur, in medendi uſu nominandae.

LXXXIX. Haec (LXXXVII. LXXXVIII.) eo liberius parciuſ-

ve,

ve, quo magis aut minus diathefis, incitationis, a qua pendet, index, et inde pendens loci adfectus, vigeant, adhibenda. Nec fingulorum ita delectus, ut potentius quodque vehementiori cuique adfectui accommodetur, non habendus (LXXII.). Sed nunquam tota gravioris mali curatio cuilibet uni credenda; contra plura aut omnia, fimul vel per vices, utenda. Denique eadem nunquam in quemvis unum, prae caeteris, locum, tanquam is morbi fedes effet, (XL. XLI. XLIII. XLIV.), inani, nunquam profutura, faepe nocitura, fpe dirigenda.

XC. Plura uni hoc praeftant, quod fic latius corpori recta incumbit vis, et incitabilitas plenius et aequalius adficitur (XXXVIII.).

Qui

Qui in locum remedia dirigit, idem agit, quod is qui, virgula recisa, succidere arborem speret.

XCI. Si quid symptoma cum aliis certae notae et cognitae naturae plerumque in morbis conjungitur, de eo alias, aut solo adparente, aut contrariae, ut videatur, significationis concursum comitante, (XXXIX. XL. XLV. XLVI.) non ex concursu, sed de hoc ex eo, in curatione judicandum, et respondentia remedia tractanda. Sic certa ejus natura, incerta concursûs, praecipit. Contrarius usus, teste sanguinis in convulsionibus et spasmis detractione, nocet.

XCII. Idem hoc praeceptum (XCI.) pravam sanguinis, sive largius, sive parcius, sive saepius, sive rarius,

rarius, in omnibus morbis, quorum dyſpepſia ullo modo ſignum eſt, detrahendi, et cibi ex plantarum genere inculcandi, conſuetudinem notat. Ut, " qui acidum " eructant, ii pleuritidi non op" portuni ſunt;" id eſt, qui ſignum habent ſpeciei morborum antiphlogiſticae, ii contrariae ſpeciei morbis implicari nequeunt; ſic aeque verum contrarium, qui dyſpepſia laborant, antiphlogiſticae ſpeciei propria et diſſociabili, ii in nullum phlogiſticae ſpeciei morbum, id eſt, ſanguinis miſſionis aut antiphlogiſticae adminiſtrationis indigum, incidere poſſunt. Quod dictum, rationis primo principio, duas cauſas, nedum contrarias, ejuſdem effectus eſſe, vel, quod eodem redit, oppoſitas vires eun-

dem parere morbum, posse, reclamante firmatum, observatione roboratum, experientia compertum, exploratum, sensui communi perspicuum, dubitanti investigatu facilem, pronam, quae contemplatio mera, quis non felix curandi usus, quae auctoritas sola, quis errantium consensus, quae eloquentia, gratia, potentia, fama secunda, quis deus, ad infirmandum valuerit?

XCIII. Quoniam omnis morbus, opportunitas omnis, in aucta aut imminuta incitatione consistit (XXVII. XXVIII.), versaque hac in contrarium statum, solvitur (LXXXV.); ideo ad occurrendum pariter et medendum morbis semper proposito consilio utendum (LXXXV.), stimulandum aut debilitandum, nunquam quiescendum,

dum, nec, ut aiunt, a natura, etiam ſana, magis morboſa, fallente, ſignum expectandum.

XCIV. Eſt in animalibus aliis et homine impetus quidam, adpetitus et averſatio. Hinc multa cupiuntur, a multis animus abhorret. Feſſus quietem, hoc languens laborem, quaerit. Jejunus cibum deſiderat, ſatur faſtidit. Sitiens potionem ardet, extincta ſiti, poculum rejicit. Frigidus calorem, frigus calidus, expetit. Cogitando laſſus ad oblectationem ruit, cujus pertaeſus illam rurſus repetit. Ira, odio, amore flagrans, ad ultionem, maleficium, dulces amplexus, concitatur; quibus expletis adfectibus, hebeſcit, quieſcit. Haec, nulla ratione, nedum ſapientia, ac ne quidem mentis con-

 ſcientia,

ſcientia, aut ullo finis, boni, mali, judicio, ulla ſalutis cura, quin et invito homine, fiunt. Quodam corporis conditionis praeſentis, jucundae aut injucundae, ſenſu, clariore, obſcuriore, naſcuntur. Non praeſide mente, tantumque, fiunt, quia fabrica animalis ita conformata eſt, ut eam conformationem, ſub alia conditione aliter, neceſſario conſequantur. Nemo ſua ſponte cibum eo conſilio deſiderat, ut corpus alatur, ut valeat, qui effectus tantum diſciplina aut experientia cognoſcitur, ſed, ut injucundum ſenſum amoveat, jucundum aſſequatur. Ratio igitur et prudentia ab hoc opere abeſt. Totum regit caecus impetus, e corporis ſtatu, neceſſitatis lege, fluens.

XCV. Sed ne hic quidem, in ulla operis ſui parte, recte prorſus agit. Aut, ſi ageret, nullus morbus, nulla in hunc opportunitas, per magnam vitae partem, exiſteret. Ad amuſſim poteſtates incitantes adpeterentur, adpetitae admoverentur, ut in neutram partem incitatio inclinaret; non ſuperaret, et ad morbos phlogiſticos vel eorum periculum vergeret; non deficeret, et in alteram ſpeciem ſive morborum ſive opportunitatis deflecteret. Sola incitabilitas, aptiſſimo ſaluti poteſtatum incitantium opere, paulatim, aequaliter, leniter, et tacito quaſi gradu, poſt longum tempus, exhauſta, abſque niſu, abſque lucta, placide et tranquille demum, ſerae morti cederet. Sed longe aliter res ſe habet. Ne

ſinguli e denis millenis ſic agunt, ſic exigunt, vitam. Reliqui omnes doctrinae, ſapientem mentem corporis motus dirigere tradentis, erroris teſtimonium certum dicunt.

XCVI. Nullus caeci impetus, vagorum adpetituum, modus ſervatur. Adpetuntur pariter et admoventur poteſtates, aut nimis, aut parum, incitantes. Quid eſt luxus, niſi immodica cibi, potionis, ſecundae menſae, veneris, et aliarum voluptatum elegantium, cupiditas? Quid eſt deſidia, niſi a motu corporis, quo alii adeo delectantur, abhorrens per inertiam, magiſque conſuetudine quietis, voluntas? Quis, ut decet, animi adfectibus moderatur? Quoties frigus, quoties calor, non conſcio qui adficitur, nocenter admovetur? Pauci, vel

vel experientia docti, auream mentis utendae mediocritatem adeo callent, ut non, quandoque nimis, saepius non satis, cogitando, sibi noceant. Quae tamen omnia perpetua et quotidiana morborum et opportunitatum origo sunt. Cur saluti labanti, et non quam primum, illa sapientia succurrit, cur extremo discrimini et non primo se opponit? Cibi quotidie supra verum indulgentia, cum aliis noxis excitantibus, ad morbos phlogisticos, abstinentia ad asthenicos, viam, vel ipsos, facit, factos auget. Cum id sapiens animus non prohibeat, contraque, omnes morbos a primo semine ad extremum fructum nasci, crescere, et maturescere, sinat, quid, ad iis occurrendum, alimentum, prout res postulet, im-

minuere

minuere vel augere nocebit? Annon luxuriae, annon desidiae, quae, aut nimis aut parum, recta, eventu, incitando, maximam apud mortales, in vitae cultu aevum transigentes, morborum turbam concitant, qua medicis, qua veri praeceptis, obviam eundum? Rursus, quae omni tempore, in omnibus gentibus, pauperes rectae debilitatis morbis implicuerunt et implicant, frigus, labor et victus tenuis, an impune grassari sinenda, et prohibendi effectus eorum ratio nulla instituenda? Prohibendos morbos dabitur. Et, si dabitur, mentis sapientis consilio, etiam in salutifera haemorrhoide, rarius opus erit.

XCVII. Porro, si eadem, quae opportunitates relatas (XCVI.) actione minore, morbos majore, faciunt

ciunt (XXIX. XXXII.), quae ratio bona, quae felix curatio, ſimiliter, ad eos ſolvendos, inſiſtere vetat? Si cibus, ut ſaepe, in phlogiſticis morbis deſiderabitur, an ideo dandus erit; et, quae cura in morbi periculo profuit, ea, hoc jam facto, nocitura, et non etiam nunc demum neceſſaria futura, credenda? An ſanguis in peripneumonia non mittendus, fundendus? Et, quia ejus miſſioni in levioribus ejuſdem notae morbis ſaepe ſuperſederi poteſt, an cum Conſule et Praetoribus Londinenſibus feſto tempore illi epulandum, qui catarrho, qui cynanche tonſillari, laboret, et non domi jejuno manendum, ſudandum, alvi purgationem ſubeundum, et convenientia alia faciendum? Quin et, ſi ipſam haemorrhoida,

rhoida, cum aliis noxis excitantibus, victus lautior, conjuncto opere, faciat, tenuis futurae occurrat, an hic inter alia auxilia ideo omittendus, illi indulgendum, ut mentis, si dîs placeat, sapientiae, hunc morbum augendo, servando, alios prohibendi occasio detur? Sensus communis, dii meliora velint, precaretur. Pari modo an variola, an rubeola, praesidi huic salutis nutui relinquenda, nihilque in illa frigori, in hac curationi antiphlogisticae, tribuendum? An ipsius maniae furori, ut sapienti rectrici mos geratur, habenae laxae permittendae? Et, sive cogitandi contentio, sive ebrietas, sive post hanc insolita sobrietas, sive animi, magna spe dejecti, dolor, sive alia eam, nimis aut parum incitando, fecerint; illis

illis contraria adminiſtratione nihil attentandum ?

XCVIII. Item in cynanche gangraenoſa, in typho, in ipſa peſte, quas febris formas debilitantia antecedentia faciunt, debilitas cauſa continet, ſtimulantia juvant, an his aegrotanti, quia ſignum non dat illa ſaluti invigilans imperatrix, interdicendum, et vel juſculo bovino vinove, queis, in morbi debilitantis longitudinem, mature vires muniantur, creſcenti malo occurratur, et in futurum proſpiciatur, quia non deſiderantur, abſtinendum? Si robuſti, ſani vitae magnus hujuſmodi ſtimulus neceſſarius eſt, an minor ſummopere debilibus, eoque magis illo egentibus, negandus ? Si omnis vita in ſtimulo poſita eſt (VI.), iſque defi-

ciens

ciens numerosa morborum origo, an in his morbis, quantum stimuli adjici potest, non adjiciendum, eoque magis, quod, praeter rationem, talem usum certa res firmavit? Si luxus et desidia, diu nimis, sed jucunde, stimulando, dein, post longum fere tempus, exhausta incitabilitate, in noxam, eventu debilitantem (XX.), transeundo, podagram, dyspesiam senilem, item asthma, epilepsiam, paralysin, et apoplexiam, facere, eaque via plerosque divites et alios ad tumulum deducere, demonstrari possunt; et non recta debilitantia, sed parcius stimulantia, auxilio esse, ratio et experientia confirmavit: An his quoque, quia per consuetudinem nimis et nocenter stimulantia adpeti non desinunt, obsistendum? Denique, si sanguinis profluvia

profluvia ſunt, in debilitate poſita, ſaepe a phlogiſticis in contraria per indirectam debilitatem (XX.) mutatis, aliquando a recta debilitantibus noxis (XXII. XXIII.) oriunda; ſi rheumatiſmus, et alii cum inflammatione partis morbi phlogiſtici, haud raro in contrariam naturam tranſeunt, iiſque ſimiles adfectus, ſine phlogiſtica origine, aliunde ſaepe naſcuntur; ut ſanguinis detractio et curatio antiphlogiſtica, quae in illis reſponderunt, his non convenire, contra vulgatum uſum, facile hic conceditur, ita ſtimulantibus, quae experientia quoque probavit, auxiliis, quodam tenus inſiſtere, et tonicum victum cum exercitatione praecipere, etiam non opportebit ? Poſtremo, ut nihil, in morborum or-

be, paulo memorabilius, praetereatur, si omnes noxae debilitantes hydropem, idiopathicum intellige, faciunt, stimulantia prohibent, et, nisi neglectus invaluerit, solvunt; an huic quoque mederi, quoties facultas erit, non tentandum, potiusque mors certa expectanda, et in oppressam praesidis sapientiam culpa conferenda? Si solida ab omni parte valetudo raro mortalibus contingit, raro rerum, corpori incumbentium, stimulus ei tam apte accommodatur, ut aut non nimis, aut non parum, incitet, eoque omnis, a sanissimo statu in utramvis partem recessus, idem genere status est, ac gravissimus quivis morbus; nonne omnem facultatem, sive corporis sive animi sit, primis principiis aeque, ac extremo

tremo

tremo fini, magisve, interesse, maloque tum potius, cum facile, quam sero demum, cum difficile, superatu aut omnino insuperabile est, mederi, et justo occurrere, morbo, debere, concedes? Nonne regentis corpus mentis sapientia ejus praefecti similis est, qui, circumtonantibus hostium armis, arcta obsidione clausum praesidium deserit, in expugnato demum, et media deditione proditurus? Si sit quod ad haec respondeas, responde Staahli, aut jube Junckerum.

XCIX. Sola, in medendi consilio, materiae morbificae ratio habenda, est, ut tempus, quo exeat corpore, detur. Sive enim, noxarum excitantium more (XXVII. XXXIII.), stimulando aut debilitando noceat, seu sui morbi propriam

tantum formam det (XVII. β.), in utravis re nullus novi conſilii locus eſt.

C. Ejici ſubito nequit, quia peculiari quadam fermentatione, aut aliter, multiplicans ſe, et in immenſum creſcens, univerſos humores inficit; ut, quod per omnes diffunditur, id exigua horum parte poſſe auferri, niſi interpoſito temporis ſpatio, non ſit ſperandum. Quam rem, fruſtra innumeris experimentis, et omni purgationis genere tentata, rejectio firmat. Nec eandem intus mutabilem materiam eſſe, par omnia experiendi diligentia, nihilo feliciore eventu, declarat. Denique, admota quamvis materia, nullus tamen, ſine noxis communibus (VII. VIII. XXXIII.) praeeuntibus, ſequens morbus, pro earum magnitudine

nitudine crefcens periculum, et tota ex communibus auxiliis LXXXVII.) pendens curatio, nihil eam materiam ad caufam conferre, aut, fi quid conferat, a noxis folitis operis genere non deferre, demonftrant (XVII. β.).

CI. Ut, fuperante pariter et deficiente incitatione, phlogiftica aeque et afthenica diathefi, in morborum periculo imminui, in ipfis fupprimi, perfpiratio poftea adfirmabitur; ita ea, quo certius omnis nocens materia corpore demittatur, adcurate expedienda, expedita fervanda. Sed ne hoc quidem novum confilium fubmonet. Nam illud facientia, diathefin utramque folvere confueta, fola effe, fuo loco ftabilietur.

CII. Frigus, adſtringendo, huic rei non miſcetur: Nam, ut poſtea demonſtrabitur, nunquam ſic perſpirationi officit, aut corpus afficit. Quin et maximum, quod vivo homini unquam incumbit, ſit exemplo variola, adeo non imminuit, ut, luce clarius, augeat, auctam ſervet perſpirationem. Praeterque haec, e noxis, idiopathicos morbos facientibus, frigus adſtringendo agens, hoc nomine rejiciendum eſt, quod ſic non incitabilitatem (IX. XXXIV.) non genus nervoſum, ſive medullare ſive muſculare (XXXIV.), ſed firma ſimplicia, contra notum communium poteſtatum, (VII. VIII.) (XXXIII.), noxarum excitantium, opus, adfectaret; et talis conſtrictio loci morbus, communis toti corpori adfectus

adfectus ejus ſymptoma, forent (LXXVII. LXXVIII.). Nam

CIII. Nullum morbo idiopathico medendi conſilium aut firmorum ſimplicium, aut humorum, aut partis omnino ſtatui cuivis, vero, falſo, accommodandum; quia poteſtates incitantes, noxae excitantes, omnes (VII. VIII. XXXIII.), omnia auxilia, in totum genus nervoſum diriguntur, totam incitabilitatem, ſolamque, movent (XLI. XLII.). Ex ſolito morborum idiopathicorum numero monſtra unum, hoc dicto exceptum. Unam poteſtatem incitantem, ſeu noxam excitantem, quae non in totum corpus agat, ſed parte contineatur, oſtende. Unum auxilium, cujus opus ultra aliquam partem non eat, indica. Localia diſtingue ab idiopathicis, et reſpon-

reſponde. Adſtrictionem frigoris, lentorem, ſpaſmum, excipi dices?

CIV. Praeter expoſita argumenta, ſi frigus, in cute adſtringendo, cauſam perageret, calor ſolveret; qui tamen, tributum frigoris actioni cutis adfectum, quiſquis eſt, adauget. Hinc curationum alexipharmacarum ſaepe pernicies. Hinc diatheſi phlogiſticae omnis calor obeſt, aſthenicae paulo memorabilior. Patuerit magno frigori aliquis, cute ſit adſtrictus. Quid tum? Admovetur igni, in lecto reponitur, calida dantur. Permanet cutis ſiccitas. Hanc ab initio frigus fecerit, an nunc quoque facit? Non poteſt: Jamdudum frigus abeſt, deceſſerit igitur effectus neceſſe eſt. Nam abſens cauſa, praeſens effectus, diſcrepant.

Dandumne

Dandumne igitur prius frigus, dein calorem, hujus adſtrictionis, aut quicunque adfectus eſt, cauſam fuiſſe? Minime. Nam ſic contrariae cauſae ejuſdem effecti forent; quod certo vero repugnat. Quid eſt igitur? Quae cauſa? Quid ſit, qua origine factum, hic dicendi locus non eſt. In praeſentia, non eſſe conſtrictionem, ac ne alium quemvis adfectum, ex frigore adſtringente pendentem, ſed, a conſuetis diatheſin phlogiſticam facere noxis, ortum, ab hanc ſolventibus auxiliis ſolvendum, ſatis ſit dixiſſe. Nulla igitur haec a tradito praecepto exceptio eſt.

CV. Ut ad lentorem (CIII.) quae attinent proponantur; quam infelix ea pathologia eſt! cujus perpetuum principium, quod univerſis

verſis comprehenſis partibus convenire, univerſas illuſtrare et explicare debet, ne uni quidem convenit, unam illuſtrat, unam explicat, contra omnibus repugnat, omnes obſcurat et confundit. Si communis morborum cauſa lentor eſſet; commune medendi conſilium, humores denſare aut attenuare, communia auxilia, hoc aut illud facientia, forent. Quam rem, ſi expoſita doctrina (LXXXV.) vera eſt, falſa prorſus ratione receptam, fatendum. Quem morbum ita ſpiſſus ſanguis cauſa continet, ut aqua ei medeatur? Quae tamen, omnes ab ea cauſa pendentes, ſola ſolvere debeat. Ubi talis ſanguis? In phlogiſticis cum inflammatione morbis, teſte, ſcilicet, cruſta inflammatoria? Si in his denſior ſanguis

ſanguis videatur, fluentior tamen eſt; ut vel hinc intelligas, quod in vaſcula, ejus alias non capacia, penetrat. Unde aqua remedio non opus eſt. Quo modo ſanguinis detractio, quomodo quaevis purgatio, quomodo inedia, quomodo corporis et mentis quies, et animi tranquillitas, ad attenuandum ſanguinem pertineant? Quo modo ſanguinis abundantia, victus lautus, potio valida, modo deſidia, modo labor nimius, cogitandi contentio, et irarum moles, pro noxis excitantibus agentia, ad denſandum aut ſpiſſandum? Contra illae noxae, haec auxilia, quantum huic doctrinae congruunt, tantum lentoris ſeu ſpiſſitatis ſanguinis opinioni adverſantur.

CVI.

CVI. Rurſus, quis morbus ex ſanguine tenui aquoſa naſcitur? An hydrops? Sed hic diatheſin, eamque notam, ſequitur. Idem, cujuſlibet idiopathici morbi more, paulatim accedit, per opportunitatem mediam ad morbi modum attollitur. Eadem opportunitatem, eadem morbum excitant. Et haec ipſa ea omnia ſunt, quae univerſos ſecundae ſpeciei morbos inferunt, nempe, poteſtates tenuiter incitantes ſeu debilitantes. Quomodo autem hae, quae alterae ſpeciei, ſanguinem attenuando, mederi dicuntur, hanc eodem operis ratione inferant? Et quo modo ſolita hujus ſpeciei morborum auxilia, eaedem, quae phlogiſticam ſpeciem faciunt, poteſtates, ſpiſſando ſalutem moliantur? Non illic ſpiſſando,

do, ſed incitationem augendo, nocent, nec hic, niſi eodem opere juvant; nec illic attenuando, ſed incitationem minuendo, juvant, hic nocent.

CVII. Si, ſine firmorum vivorum labe, ſine incitationis culpa, ſanguis juſto tenuior aut ſpiſſior morborum origo eſſet, ſola aquae abundantia, aut penuria, omne vitium crearent. Sed aqua, quantumvis large ſumpta, ſemper in valido corporis habitu, variis toto corpore foraminibus undique ſponte diffluit, eoque nihil nocet. Nullus homo valens, hauſta liberius aqua, in hydropem incidit, nec per aeternum aevum incidet. Eadem, quantumvis parce ingeſta, pariter tuta eſt, quia, quicquid amplius neceſſarium ſit, accenſa ſiti adpeti-

H tur.

tur. Quin et, ſine hac et ſuppleta per eam copia, magnus ſaepe defectus nullo incommodo toleratur. Per conſuetudinem alii prope aſſidue, alii vix unquam, utrique impune, bibunt. Nec, poſt aquae abundantiam aut defectum, morbi, niſi, quae univerſos aliàs faciunt, ſtimulantibus aut debilitantibus, augendaque aut imminuenda incitatione nocentibus, prius admotis, incidunt. Humorum ſpiſſitas et tenuitas, ficta prorſus morborum origo. Monſtra unum morbum, qui e ſtatu ſanguinis, ſine ſolitis noxis excitantibus, ſolito modo ſtimulantibus aut debilitantibus, exoriatur. Denique Sydenhamiana, ſanguinis detrahendi, purgandi, refrigerandi, et diatheſi antiphlogiſticae obviam eundi, curatio,

ratio, quae primae morborum ſpeciei apprime reſpondet (XXVI. LXXXVI), ſola fere in humorali medendi conſilio adhibita, et huic propria neglecta aut incurioſius tractata, vanum et falſum id conſilium arguit; quod rurſus pariter vanam et falſam cauſam evincit. Poſtremo, ea doctrina hoc nomine rejicienda eſt, quod, effectu levi nec ullius momenti, pro cauſa graviſſima per errorem habito, nititur. Si vaſa valida ſint, ſanguinis partes fortius miſcebuntur, ipſe denſior quidem, ſed fluentior, erit, et in corporis receſſus penetrando aptior evadet. Contra, idem per imbecilla vaſa imperfectius miſcetur, partes aquoſae a ſpiſſioribus ſponte ſecedunt, hac, qua data porta, ruentes, excernentibus a-

quoſa vaſculis, effluunt, illae prius retinentur, dein iiſdem viis, uſque laxioribus, ad extrema corporis devehuntur. Illinc in morbis phlogiſticis ubique corporis extremi rubor, ubique ſiccitas; hinc in aſthenicis ubique pallor, intus mador et extrinſecus poſt ſiccitatem. Sed cauſa prioris habitus nimia, poſterioris deficiens, incitatio eſt. In qua idonea idoneus ſanguinis ſtatus. Ab omni igitur parte falſa doctrina humoralis.

CVIII. Cumque blandior eo ſanguis, quo percitatior, acrior, quo tardatior, ſit, et aut externa ei nihil acrimoniae inferant, aut adverſus hanc remedia nota parum valeant, ſola denique cujuſpiam momenti ultra primas vias acrimonia, putredo, a debilitate pendeat,

deat, et, hac ſublata, prohibeatur aut ſolvatur; ideo, praeterquam quod ad purgandas primas vias ſemel ſupra, ſemel infra, purgatione, et dilutione aliqua, opus ſit, tradito conſilio (LXXXV.) nihil adjiciendum: Nam, quae debilitati obviam eunt, ea putredini, et omni alii acrimoniae, occurrunt pariter, et medentur. Aqua frigida, aër purus, munditiae, vinum et cortex Peruvianus, nullo alio modo putredini reſiſtunt, quam quantum incitationem augeant. Scrutare febres, ſcrutare antiſepticorum, quae dicuntur, opus, et verum id, necne, ſit, penſatis rebus judica. Valide purgantia, aut lenius, ſed morando, nimis idem facientia, nihil ad acrem materiam demen-

dam valent, et certam mortem, debilitatem augendo, intentant.

CIX. Quicquid ſpaſmus (CIII.) conſilii praebeat, id, ab alterutrius ſpeciei (XXVII. XXX.) curatione alienum, ſit neceſſe eſt; ſiquidem corporis in utravis ſtatus, quem reſtituere conſilii ſit, idem, ac cauſa in altera, demonſtratus (LXXXVI.); eundemque ſtatum cum cauſam, tum huic contrarium, eſſe, a ſenſu communi abhorret. Spaſmus porro phlogiſticorum morborum cauſa eſſe nequit, quia neque noxae excitantes ad eum faciendum, neque auxilia ad tollendum, pertinent. Quomodo ſtimulantia, quae, incitationem augendo, prius omnes actiones augent, dein aliquas perturbant, alias imminuunt, reliquas augere perſtant (XLV. et poſt.), de-

ſerto

ſerto reliquo corpore, in extrema ſummi hujus vaſcula vim ſuam omnem convertant, inde ſymptomatice reliquum corpus adficiant? Quo modo ſanguinis detractio, varia purgatio et inedia, quae, diſtentionem, eoque admotum omnibus vaſis ſtimulum, imminuendo, incitationem toto corpore imminuunt; quo modo corporis, quae ſanguinem tardat, quo modo mentis, quies, et animi tranquillitas, quae gravem, ipſi cerebro incumbentem, ſtimulum cautum ſignificant; compertum ſuum, in totum corpus agendi (XXXV. et ſeq.), officium negligant, et velut acta furore, ſingula et omnia in extrema ſummi corporis vaſcula impetum omnem dirigant? Unam noxam excitantem, quae ſpaſmum faciat,

unum

unum auxilium, quod tollat, oſtende; et reliquorum conſimile opus concedetur, pedibuſque in opinionem, ſpaſmo diatheſeos phlogiſticae (XLIII.) cauſam tribuentem, tranſibitur.

CX. Quid autem opportunitas, quorſum evaſit, qua ratione explicanda, ſi pro morbi cauſa ſpaſmus recipiendus ſit? Solo nimio victu et deficiente corporis motu, a ſecundae valetudinis tenui perquam linea ad graviſſimam aliquis, per medios omnes opportunitatis quaſi gradus, peripneumoniam perduci poteſt. Quod ubi factum eſt, quid inter corporis ſtatum eo, quo morbus incidit, die, et pridie ejus, intereſt? An quae hoc plena, illo die inania, vaſa fuerunt? An ſubito pulſus, e debilibus, tenuibus et

et mollibus, validi, magni, et duri, adveniente morbo, evadunt, et uno quaſi ſaltu phlogiſtica diatheſis irruit? Nullumne robur, nullus mentis vigor et vis adfectuum, quae nec in contraria diatheſi, nec etiam ſolida valetudine, conſpici ſolent, ante morbi adventum, cernantur? An hydropi opportunus, aut hoc implicitus, temporis puncto, pleuriticus fit? An poteſtatum incitantium opus nequicquam reliquo opportunitatis tempore, et ſolo hujus fine, morbi initio, efficaciter ad hunc corpori incumbit? Nihil igitur cogitandi nimis, nihil iracundiae conſuetae, cibi uberis, conditi, potionis validae, ſanguinis toto corpore abundantis, et exercitatione inſuper percitati, ſtimulus multiplex, diu, multum, aſſidue,

exercens,

exercens, paulatim valiturus; contra, repentino impetu morbum semel excitaturus, idque, inducto denique extremis vasis spasmo, facturus, reliqua corporis ne nunc quidem moturus, existimandus? An, quae alias semper, quanquam non satis intellecta, agnoscitur ad morbos opportunitas, ad hunc negabitur? Non potest. Ad hunc et alios morbos idiopathicos dabitur opportunitas: Et, si dabitur, morbi statui cognata esse non inficias ibitur. Eadem circa sua cum morbo confinia tenui sane discrimine ab eo distat. Omnia, quae coeptum morbum, praeter levem quarundem actionum turbationem, inde quoque; unde aliarum status, pendentem, et similiter tollendam, opportunitatem extremam distinguunt;

guunt; eoque, ſi illi ſpaſmus proprius ſit, huic ſit neceſſe eſt. Sed ſpaſmus in opportunitate eſſe non contenditur, abeſſe tribuitur; unde nec morbo exiſtere fatendus. Quoniam igitur eaedem poteſtates incitantes, quae morbum, etiam opportunitatem, faciunt (XXVII. XXVIII. XXIX.), et eodem operis genere utrumque facere exploratae ſunt; iidem ab earum communi opere effectus fluere, et non alii in illo, alii in hac, ſine cauſa idonea, conſequi, judicandae. Unde, qui opportunitati deeſt, ſpaſmum morbo eſſe non poſſe, manifeſtum.

CXI. Cum ſpaſmus denique in debilitate neceſſario poſitus dicatur; ob hanc quoque cauſam a phlogiſticis morbis neceſſario eſt alienus. Debilitas enim in morbis,

bis, a nimii vigoris cauſa pendulis, non incidere poteſt. Quam rem ſtimulantia morbos facientia, debilitantia potenter ſolventia, magno pondere firmant. Cum vero quaedam ſigna, qualia horror, languor et laſſitudo ſunt, quod actiones imminutas indicant, ideo debilitatem quoque cauſam arguere dicantur; nulla tamen, quae illa ſymptomata cauſa contineat, debilitas ſubeſt; ut hoc uno patet, quod eaedem, quae reliqua omnia, noxae nimis incitantes, ſeu ſtimulantes, illa quoque creant, et eadem auxilia tollunt. Si ſanguinis detractio nimiam vaſorum actionem componit, reliqua morbi ſolvit, an horror, languor et laſſitudo, non unà decedunt? Quae, ſi a debilitante poteſtate

poteſtate tolluntur, an ex eadem naſci credenda? Quis dixerit?

CXII. Ad haec morborum phlogiſticorum cauſae miſceri ſpaſmus nequit; quia, praeterquam quod nulla debilitas ſubeſt (CXI.), diſtentio, aut eam referens aliquid, quae, cum fibrarum atonia et laxitate, omni vero ſpaſmo, qualis interiores corporis fibras ſaepe, in aſthenicis morbis, occupat, neceſſaria poſtea dicetur, hic extremorum vaſculorum fibris omnino deeſt. Abundat quidem, eoque diſtendit, in phlogiſticis morbis, ſanguis, ſed non eo uſque ut ſpaſmum creet. Quantum haec diſtentio ab ea diſtat, quae ventriculum, quae inteſtina, quae veſicam urinigeram, quae vaſa renalia, aut ductus biliferos, ſpaſmo adficit? Quin et ſi ſpaſmo

ſuſcitando par foret, is non extrema, ſed reliqua omnia vaſa, quae extremis etiam magis replentur, comprehendere deberet. Sed hoc non verum, ideoque nec illud. Neque aliquid, effectu diſtentionem referens, quale ſpaſmum tetanicum excitat, hic diſtentionis vice fungi poteſt; nam id, quicquid eſt, ad muſculos pertinet, et cum voluntatis effectu conjungitur; cui vaſa, motus involuntarii inſtrumentum, ſubjici non poſſunt.

CXIII. Poſtremo, ſpaſmo careant morbi phlogiſtici neceſſe eſt, quia is iis proprius eſt, quorum omnia in debilitate poſita ſunt, cum illorum omnia ex nimii vigoris cauſa profluant. Nihil certius aſthenicum morbum eſſe, abeſſe phlogiſticum, ſpaſmo aut convulſione praeſente,

ſente, teſtatur (XLV.). Quae obſervatio non ſummo uſui tam diagnoſi, quam curationi, eſſe non poteſt. Et ab eadem, quantus error ſit, qui non ſolum cum diatheſi phlogiſtica conjungit, ſed ejus etiam cauſam ſpaſmum, proponit, nec huic ſolitam ſedem, ſed novam et incongruam, tribuit, addiſcas. Nihil ſibi conſtantius natura eſt, nihil ordinis, nihil formae, ſervantius, nihil ſimplicius. Ubicunque aliquam ſui partem oſtendat, ei alias propiores, alias remotiores, alias contiguas, alias extremas, perinde ac in hominis corpore membra, ſuo quodque loco, diſpoſita, pro certo habeas, et non quemlibet cuilibet artui temere haerere credas. Spaſmus, omnino in morbis phlogiſticis, magiſque

gisque extrema vascula occupans, idem, ac alter pedum hominis, fronte eminens, est. Qui, contra, interiorum cavorum aliquid, in morbis asthenicis, e debilitatis ubique signis, et laborantis loci distentione, constantibus, adfectans, positum suo loco pedem, alteri respondentem, et notis artubus subjectum, refert.

CXIV. Ad exposita argumenta hoc insuper accedit, quod spasmus, in morborum phlogisticorum caussae ratione, prorsus supervacuus est; quippe quibus faciendis diathesis phlogistica sufficere fusius sit monstrata (XXXIII. XXXVII. LXXXV. LXXXVI.). Quin et, quod pro illo in iis morbis habetur, nihil aliud est, quam diathesis phlogistica, in summo corpore, quam intus, paulo major; quod fusius mox

mox adfirmabitur. Verus ſtatus eſt aucta fibrarum ex aucta incitatione denſitas, omnium vaſorum diametros imminuens, extremorum delens (LI. LII.) Quem nihil, praeter noxas ſtimulantes, reliqua omnia ſymptomata facientes, facit; ſola debilitantia, unà totum morbum undique corporis ſolventia, ſolvunt. Eodemque pertinet, quod ſolae illae ad morbum opportunitatem creant, ſola haec auferunt, occurrunt morbo. Quid naturae ſimplicitas ſimplicius requirere poteſt? Cui quid ſpaſmo magis repugnat?

CXV. Ut rejiciendus igitur is ex morbis phlogiſticis omnino eſt, ita ad extrema in febribus, quas morbos aſthenicos intellige, vaſcula nihilo magis pertinet. Qui-

bus, licet debilitas, quae huic ſpaſmo poſtulatur, et vero, interiores ſedes obtinenti (CXI.), neceſſaria eſt, non deſit, diſtentio tamen, aeque neceſſaria, deeſt. Quae vero vaſa, tantum repleta ac diſtenta, quantum haec in diatheſi phlogiſtica eſſe ſolent, parem tamen ſpaſmo creando diſtentionem non attingunt, (CXII.) ea multo minus vacua, ut hic, ad eandem aſſurgere credenda. Nullo vero ſpaſmo, ſi unum excipias, qui exceptus nihil hoc argumentum infirmat, non neceſſaria diſtentio eſt. Quam in dyſpepſia ſordes, aër emiſſus, item in podagra, quae propria dyſpepſia eſt, in colica aër quoque, et ſtercus impactum, in vaſis renalibus et biliferis concreta, faciunt. Cui quid in vacuis extremis febricitantium

tium vaſis ſimile aut ſecundum? Tetanicus ſpaſmus is eſt, qui a diſtentione non excitatur. In quo ſimile tamen aliquid diſtentioni in cauſa eſſe, idem effectus arguit (CXII.). Cujus ratio nihilo magis ad hunc ſpaſmum periphericum, ut ab aliquo dicitur, facit: Nec hujus ſedes in muſculis, et cum voluntate affinitas, ullam cum illo communem rationem recipit.

CXVI. Quod cum ita ſit, quibus defendatur ſpaſmus argumentis, audi. Cutis palleſcit, attenuatur, tumores decreſcunt, ulcera exſiccantur. Sed palloris et attenuationis cauſa in promptu eſt: Scilicet, tum incidunt, cum cor, debilitatis communis particeps, ad extrema vaſa percitare ſanguinem nequit. Eadem decreſcentium tumorum,

rum, ulcerum exarentium, origo manifesta. Quos adfectus si spasmus causa contineret, quid sequeretur respice. Quantumvis tarde, sanguis ad extrema vasa fluere non cessaret; per spasmum retentus, eodem congestus cumularetur, cumulatus vasa libera distenderet, spasmo obtentorum viciniam premeret, loca circumcirca repleret, et tempore, sic abundans, colorem restitueret, pallorem pelleret, tumores distenderet, ulcerumque, si fluere primum per spasmum prohiberentur, brevi ampliatorum, deletis aliquibus acrimonia crescente vasculis, profluvium demum augeret. Hoc modo sola, quae ad hujus spasmi opinionem tuendam adhibita sunt, argu-

menta

menta illam refutant, debilitatem caufam firmant.

CXVII. Sed non extrema vafculorum puncta sola, proximam his quodam tenus partem quoque adfici, ut veri vim eludas, fcio bene, dices. Sed quo indicio dices? An pallor, an attenuatio, an tumores, et ulcera, partium, quae cernuntur, earum, quae non cernuntur, ftatum illuftrabunt? Te auctore dices, quod tibi factu neceffarium, non aliis probatu eft. Verum dabitur tibi tuus hic fpafmus, dummodo, fervaturum te illum, et fponte manibus effugere prohibiturum, promittas. Initio typhi cutis ficca eft. Sub finem fudor fpiffus, eft ubi, fanguis integer omnibus, quibus conftat, partibus, per omnia foramina diffluit.

Quid

Quid ſpaſmus nunc? Quorſum evaſit? An, qui caeco vapori perſpirabili obſtare debet, craſſiſſimum humorem trajiciat? Qualis ſpaſmus, qualis nimia contractio eſt, quae triplo eâ, quae, omnis ſpaſmi expers, naturalis et ſana eſt, majorem diametrum pandat? Non ſolutum nunc ſpaſmum demum rejicies; quia, manente, immo creſcente, effectu febre, cauſa ſpaſmus maneat, et augeatur, noſti eſſe neceſſe.

CXVIII. Poteſtatum communium, opportunitatem ad febres creantium, et morbum excitantium, ratio ſpaſmi opinionem ſubruit. Quo enim modo frigus, ſui operis naturam (XXII. XXIII.) ſequens, recta, quo modo calor, eventu, debilitantia, quo modo fames,

fames, quo modo timor, quo modo luctus, nimia venus, sanguinis aut humorum jactura, et a prioribus morbis relicta imbecillitas, quae in opportunitate pariter, et morbo facto, totum corpus, totam incitabilitatem (LXXXV. LXXXVI.), debilitando adficiunt, hoc certo suo opere deserto, ineunte morbo, repente universam suam vim in extrema summi corporis vascula tranferant? Si materiam morbificam, plerumque contagiosam, id facere dicas, unde id firmabis? Si tonica et stimulantia, quae omnes in debilitate positos morbos, totam asthenicam speciem, juvant solvuntve, hujus quoque materiae, qualisqualis est, effectui medentur, et debilitantia omnia certissime nocent, quod ratio probavit, certissima res firmavit; si, sine

ſine noxis communibus praeeuntibus, febres nunquam incidunt, neque in alio corporis ſtatu, quam qualem eae excitant, conſiſtunt; an alius ejus materiae effectus, in morbo faciendo, et non idem prorſus, ac communium noxarum, habendus? Propius, ſodes, rem reſpice. Temporis punctum ſpaſmi opinionem nondum exploratam puta. Divelle te ex animi praejudiciis breviſſimam moram. Divinitus data ratione ſemel utere. Quod ſi feceris, et tuo utaris judicio, nunquam eum effectum, qui idem, ac alius ſit, alium, aut, qui alii contrarius ſit, eum eundem, eſſe tibi perſuaſeris. Nihil in natura, nihil in vero, ſimplicius, certius, quam omnia febrium a noxis debilitantibus,

tibus, ſive communes, ſive propria cuique, reſpiciuntur, oriri, in debilitate conſiſtere, et ſtimulando agentibus cedere auxiliis. Materia aut propriam morbi formam ſolum dat, aut eodem prorſus modo, quo communes noxae, agit, utrumque effectui eodem actionis genere, iiſdem poteſtatibus, recte ſuccurritur. Ante morbum igitur, pariter et poſt, noxae debilitantes, in totum corpus agentes, totius adfectum relinquunt, auxiliis, pariter late agentibus, et totum corpus moventibus, depellendum. Quod ſpaſmi opinioni adverſa fronte repugnat. Si igitur in hac, ut alia morborum ſpecie, nullus ante morbum ſpaſmus eſt, nec poſt eſſe poteſt.

 CXIX.

CXIX. Eandem ſpaſmi doctrinam porro refutat, quod nullum auxiliorum commune opus eſt, nullum medendi conſilio, nec hoc cauſae, reſpondet; contra, omnia omnibus, ſingula inter ſe, aliud alii, toto coelo diſcrepant. Noxae excitantes, aliae ſedare, aliae ſtimulare, ab ipſo initio, dicuntur. Quarum effectus tum debilitas, tum ſpaſmus, tum aucta actio, eſſe, et in his cauſa conſiſtere apprehenditur. In curatione primum adverſus languorem levia tentamina fiunt: Dein ſanguinis detractione, et parciore, ſed diuturna, eoque ad ſummam ingente, purgatione, ſpaſmus, ſcilicet, convellitur: Poſtremo, viribus penitus fractis, labante vita, et prope inter extremos halitus, vini demum paululum, nuper opium,

um, datur. Quid horum omnium, ſive ſingulorum inter ſe, ſive aliorum cum aliis, commune vinculum? Quo modo inter ſe cohaerent? Si rebus ſtandum, quis harum conſenſus, uniuſcujuſque alii fidem derogantium? Si ratio ſpectanda, quae hujus conſtantia, in unum longiſſime inter ſe remota cogentis, eidem principio maxime diſcrepantia accommodantis? Ut,

"velut aegri ſomnia, vanae
Fingantur ſpecies, et nec pes, nec caput uni
Reddatur formae."

Spaſmi igitur opinio, ſic rebus, ſic rationibus, ſibi ipſe diffidens, ſuarum partium diſcordia proditur, et argumentis, quibus defenditur, alio aliud, refellentibus, et quaſi mutuo odio concidentibus, falſa eſſe arguitur.

CXX. Sed, praeterquam quod ſibi ipſi, omnibus rebus et rationibus, diſcrepat, opportunitatis ſtatui repugnat, et omni ex parte falſa eſt; doctrina ſpaſmodica etiam nihil in pathologia, nihil in curatione, nedum omnia in utraque, novavit. Tota reliquiae aliarum antiquatarum eſt. Primum ſolus ſpaſmus, nulla praeeunte conditione, pro cauſa apprehenſus. Qui, debilitatis in nonnullis morbis ſtatu (XXX.) obſcure demum viſo, ab hoc, tam in phlogiſticis morbis, quam in febribus, proficiſci, nuper coepit differi. Sic factus ſpaſmus poteſtatis nervoſae actionem dein auget. Ecce cauſam triplicem, e debilitate, ſpaſmo, et aucta actione, quae abſurde reactio dicitur, conſtantem; effectu variam,

riam, utpote quae uniuſcujuſque partium propria ſigna inferat; varie quoque, ſed non eodem, quo adſurgat, ordine, laceſſi auxiliis ſolitam. Obſcure, confuſe, nulli bono, nullum in uſum, clariſſimis quamvis ſignis manifeſta, debilitas, quaſi per nubila Luna, aut videtur, aut viſa putatur, et, verbo tenus, in ſcenam muta perſona inducitur. Hic, ubi novi multum ſperes, praeter ſpem nihil in uſum deducitur. In cauſa ſolus ſtatus, qui reſpicitur, ſpaſmus, et inde augeſcens actio, eſt. Noxae excitantes, quas, et ante morbum, et facto hoc, in totum corpus agere, per totum debilitatem diffundere, quivis apud ſe, et non praejudiciis caecus, cerneret, in extrema cutis vaſa (XLIII. CIX. CXII.) vim omnem

vertere, factoque ibidem ſpaſmo, actionem nervoſam, multo ſana majorem, concitare, dicuntur. Quo certius, veram, evidentem, quae ſubeſſe comperta et demonſtrata (CXI.) eſt, debilitatem ex doctrina ſpaſmodica minime concipi, intelligas; ei, neque in medendi conſiliis, nam plura ſunt, neque in auxiliis praeceptis, ullo modo proſpicitur. Certe ſanguis initio detractus, dein adhibita per morbi curſum purgatio, poſtremo tot vini diluti cyathi, quot meri utres ſanus accipere ſolitus ſit, in extrema debilitate, et mortis articulo, paulatim, guttatim, dati, nihil, ad vigorem dandum, debilitatem ſolvendam, pertinent. Praeſens igitur ſpaſmi opinio neutiquam a priore, neutra ab aliis, u-

trique

trique rejectis; vere et illa, memorando tantum verbis debilitatem, differt.

CXXI. Cur spasmi, vocabulo tenus, in debilitate positi, defensor, quisquis es, sanguinem ineunte febre detrahis? Nonne, quia irritationem, vel majorem sana potestatis nervosae actionem, subesse credis? Unde tantam actionem, tantam vim, ubi omnia fractas vires arguunt, subesse, eamque misso sanguine imminui posse, nosti? Quia Sydenhamus nullam aliam pathologiam, nullam aliam curationem, solam illam, in omnibus morbis, adhibuit? Verum, si is, qui, phlogisticam morborum naturam et curationem detegendo, multum de medicina meritus est, alios in debilitate positos non vidit, eoque

eoque iis nullas rationes, curationem nullam, accommodavit, nonne ad te, tua ratione invicem uti, et iſtum magni viri defectum supplere; redibat? Si ſupra traditam doctrinam legiſti, et inde, aut aliunde, poteſtates (VII. VIII.), e quibus omnia vitae pendent, ſupra eum modulum, qui juſtae undique valetudini convenit, creſcentes, periculum morborum, hoſque ipſos, prout minus pluſve creſcant, citius, ſerius, facere, animadvertiſti, et opportunitatem, nimiam quaſi vitae vim, morbos, ad extremum nimiam, eſſe ideo concedes; quod, hanc imminuentibus poteſtatibus, ad ſalutem reducendam, ab illo doctus, uteris; nonne eaſdem poteſtates deficere, infra eundem ſalutis modulum lapſas ſubſidere,

poſſe,

poſſe, et ſic contrariorum morborum periculum, hoſque ipſos, creare, animadvertiſſe potes, et hanc opportunitatem, veluti deficientem vitae vim, hos morbos, ad extremum deficientem, eſſe, percepiſſe? Si ex copia vita laborat, nonne, ex inopia laborare poſſe, ſuſpicanda? Certe hoc ſenſui communi patet. Non tibi. Quia in peripneumonia Sydenhamus recte, male in paucis caſibus, ſanguinem detraxit, alvum purgavit; tu idem in typho, idem in peſte, facis. Sed parcius illo remediorum duorum uteris. Cujus cautionis magnae tibi gratiae debentur. Nullam rei ipſius, aliquam magnitudinis, differentiam ſtatuis. In illo morbo diatheſin phlogiſticam, magnam ſtimulantis noxae vim, in his irritationem, eoſdem

eoſdem genere adfectus, intus in corpore, vides. Adverſus utrumque ſcalpellum ſtringis. Gygantem et pygmaeum aequas, utrique aliquid, huic paulo minus, recidendo. Eadem falce luxuriantem ſegetem et marceſcentem demetis. Si ratio, quantumvis ſolida, nihil apud te valebat ; nonne ejus voci res certae, manifeſtae, clare ſuccinebant ? Nonne animi et corporis languor, mentis imbecillitas, cibi faſtidium, nauſea, vomitus, pulſus debiles, tenues, ordinis expertes, pallor, motuum voluntariorum impotentia, febres inſigniunt, et a morbis phlogiſticis luculento diſcrimine diſtinguunt ? Nonne in his morborum ſpeciebus omnia omnibus contraria ſunt ? Et nullam haec niſi magnitudinis differentiam

rentiam monſtrant? Ubi irritationis tuae jactatae indicia ſunt? Pulſuum celeritas, cutis ſiccitas, et auctus illic calor. Cutis ſiccitatem e ſpaſmo pendere, petitio principii eſt; e debilitate pendere demonſtratum (CXVI.). Calor hic multo minor, quam in morbis phlogiſticis, ſaepe ſano convenientem non ſuperat; eſt ubi deficit. Idem inaequalis, initio in extremis artubus auctus, poſt imminutus, extinctus. Quae notae ad eum ex phlogiſtico, ſemper magno, etiam in frigoris ſenſu, ſemper toti corpori communi, nunquam, dum forma morbi manet, morboſe imminuto, nedum ubivis extincto, diſtinguendum ſufficiunt. Uterque e ſuppreſſa perſpiratione, ſed alter aliter, pendet. Phlogiſticum, ejuſdem

dem notae diathesis, in cute, quam alibi, auctior; hunc, qui asthenicus dicendus, sanguis ad extrema cutis vasa, ob debilitatem, non perductus, faciunt. Quo modo id fiat, partim dictum, mox fusius dicetur. Ita fieri in praesentia meminisse satis sit. Calor in contrariis speciebus diversus prorsus adfectus, diversa origine, diverso effectu, diversa significatione; quod ex aliis porro utriusque speciei comitibus effectibus patet. Phlogisticum calorem omnia superantis vigoris, asthenicum omnia deficientis, nam pulsuum celeritas non excipienda statim dicetur, comitantur. Quae res, utrumque e communi totius concursus, quemque sui, causa pendere, haud dubiam fidem facit: Nam, si idiopathicus quivis morbus incitabilitatis,

tabilitatis, quae eadem toto corpore et indivisa est, totius adfectus est, ab alterutra causa, nimia, vel deficiente, incitatione, factus; igitur, ubicunque utervis adfectus clare cernatur, eum solum per totum corpus, nullam alterius partem, subesse manifestum est. Si id non ita esset, ex partibus incitabilitas, aliâ nimiam, alia deficientem, incitationem, recipientibus, constaret. Quod tota doctrina tradita respuit (XXXIV. XXXV. XLV.). Qua, ubicunque aliqua aut plures potestates, sive nocentes, sive juvantes, et, aut nimis, aut parum, incitantes, in partem quamlibet egerint, eae, cum inaequalitate relata, in totum corpus agere, toto incitabilitatem augere vel imminuere, demonstratae sunt. Cujus dicti fides quo

plus apud te valeat; ex univerſis morbis idiopathicis unum oſtende, in quo, dum pleraque ſymptomata vel phlogiſtica, vel aſthenica, ſunt, aliqua contrariae ſignificationis ſimul conjungi, conſtet. Si poſſis, in tuam hinc ſententiam tranſibitur; ſi non poſſis, quam cauſam idoneam, huc non tranſeundi, haec non recipiendi monita, fingere poteris. Id igitur caloris, quod in juſtis febribus occurrit, non ex irritatione eſſe, ſed ex morbi communis ſymptomate, perſpiratione ſuppreſſa, pendere, concedatur neceſſe eſt. Quam originem pulſuum celeritas aeque reſpuit; ut ſimplice hac imagine patebit. Sit parvuli vaſculi pars, trium ſanguinis particularum capax. Cujus idoneum ſtatum, quaſi bo-

nam

nam valetudinem, duae replentes, faciant; nimiam, ſeu phlogiſticam, conditionem tres diſtendentes ſtatuant; deficientem, ſeu aſthenicam una creet. Quoniam vaſorum contractionis magnitudo, ſanguinis copiae, diſtendenti, ac ſic ſtimulanti, reſpondet (LII.), maxima illa igitur in primo caſu, minor in altero, in noviſſimo minima, ſit, eique reſpondens incitatio rationem parem ſervet, neceſſe eſt. Rurſus, quoniam diſtentio prius, dein contractio, temporis, quo peragantur, aliquod requirunt, ideo quo plus ſanguinis, diſtenturum; dein contractionem ſuſcitaturum, recipiatur, receptum trajiciendum ſit, eo tardius diſtentionem pariter, et contractionem peractum iri, id eſt contractionis, nam diſtentionis

 conditio

conditio datur, magnitudini tarditatem refponfuram, manifeftum. Quo ftatuto exemplo, fi contractionis ex tribus particulis receptis tempus detur, fitque iii. contractionem, a duabus datam, tertia parte breviorem, nempe, ii. ab una ortam, duabus tertiis partibus, fcilicet i. futuram, conftat. Quod fi ita eft, pro brevitate contractionis celeritatem fore, clarum eft. Hinc, quod in febribus celerrimi pulfus funt, caufa in promptu erit. Et, fi ex pulfibus de incitationis magnitudine judicandum eft, quo celeriores fint, eo minus incitationis, et hanc praeftantis ftimuli, fubeffe colligetur. Pulfuum igitur in febribus celeritas debilitatis purae, non irritationis, feu auctae incitationis, debilitantia remedia poftulantis, argumen-

argumentum eſt. Eandem rem tota humanae valetudinis, ſecundae, adverſae, in morbos utriuſque ſpeciei inclinantis, ratio confirmat. Sic in pueris, mulieribus, item utriuſque ſexûs, omnis aetatis, imbecillis, quam in adultis, viris et robuſtis; in opportunitate ad aſthenicos morbos, quam contraria, aut juſta valetudine; in ipſis iis, quam contrariis, morbis; denique in his provectis, aut extremis, quam incipientibus, ſemper celeriores pulſus, pro debilitatis magnitudine, ſunt. Quin et ſenes ipſi, quorum pulſus tardiores ſaepe ſunt, quam ut huic celeritatis, pro debilitatis ratione, ſeriei convenire videantur, cujus rei cauſa hic referenda non eſt, ſemper tamen eo celeriores illos, quo debiliores ſint, experiuntur.

Pulſuum igitur in febribus, ſimili modo, ac in omnibus aliis morbis aut habitibus, in debilitate poſitis, celeritatem debilitas cauſa, non irritatio, continet. Si quis roget, quo modo factum ſit, ut, cum nulla irritatio in febribus ſit, eam tamen ſolam, minime debilitatem, vulgaris medendi ratio reſpiciat? Cauſa in promptu eſt. Non, poſt exploratam in febribus irritationem, antiphlogiſtica medendi via inventa eſt; ſed, poſt hanc exploratam, et phlogiſticis morbis recte adhibitam, illa in febribus inventa, ut eandem his curationem adhibendi probabilis cauſa afferetur. Uno verbo, ſola phlogiſtica morborum natura, ſola antiphlogiſtica curatio, cognita, ad omnes morbos deducta eſt. Sic

ſanguis,

ſanguis, ad materiam noxiam ejiciendam, ſic ad ſpiſſam ſeparandam, ſic, in mentis obſequium, ad vaſa exoneranda, in febribus aeque, ac phlogiſticis malis, ademptus. Quod promiſcuum curationis genus, nihilo meliore ratione, feliciore plerumque eventu, aliis medendi erroribus cautis, nec debilitatis etiam intellecta natura, Sydenhamus recte in phlogiſticis, ſecus in aliis, adfectibus amplexus, lentorem et ſpaſmum probaturis tradidit. Quo, ut materiae morbificae, ut ſpiſſae, ejiciendae aliqua, quamvis tenuis; ita, ſpaſmi ſolvendi, aut hoc concitari creditae irritationis ſedandae, nulla cauſa, cauſae ſimulacrum, ſimulacri umbra, datur, aut ſemel reputantis fingi animo poteſt. Haec pathologia, et ei accommodata

data ſanguinis detractio, craſſiſſimarum errorum damnatorum faecum reliquiae ſunt. In doctrina ſpaſmodica, ſupra purgantia, eo potiſſimum conſilio, nam ſic loquuntur, dantur, ut aſſidua nauſea moveatur, hac diaphoreſis excitetur, ſpaſmus diaphoreſi, ſcilicet, imminuatur. Haec verba ſunt. Vere ampliſſima purgandi ratio inſtituitur, et alexipharmaca ſic materiae morbificae ejiciendae, ut putabant, reducitur, amplificatur. Contra nihil, quo ſpaſmus ullo modo moveri credi aut fingi poſſit, eam curationem ſequitur. Monſtra unum caſum, quem, ita cutem adficiendo, ut ſolvere ſpaſmum videretur, nauſeae ratio ſuſtulerit. Unam medicinam, unum auxilium, memora, cujus illud manifeſtum

feſtum opus ſit. An Tartarum emeticum dices? Non potes, non audes. Certum curſum, certam diuturnitatem, febribus eſſe fatendo, tuum illud auxilium nihil agere fateris. Quod pro ſpaſmo habes, nempe, cutis ſiccitas, et pallor, permanet, donec, aucta morbi vi, fractis prorſus viribus, imminente demum morte, vaſorum omnium, quae ſemper debilitatis magnitudini reſpondet, aucta ad extremum reſolutione, ſecedente tenui a ſpiſſiore ſanguinis parte, ſudor ſpiſſus, ipſe integer ſanguis omnibus, quibus conſtat, partibus, corporis undique diffluat. Quo facto, cum febris perſtet, ſaeviat, et extremam magnitudinem nacta ſit, ita non ſolutam cauſam, ſed pro ratione auctam, non fateri non

potes.

potes. Quam infelix confeſſio ea eſt, quae, ſolum adverſus ſpaſmum, quod fingi, et vix, poteſt, auxilium, minime illum tangere, concedit, et in una re totam ſuam cauſam tradit, dedit, prodit. Materiam febrificam, vel omnino morbificam, aut ejici, aut corrigi, poſſe negas, et recte negas: Nam, praeter adlata (XCIX. C. CI.) ſupra argumenta, cum illa, toto corpore, per univerſa vaſa, diffundatur; ita minime humoris paullulo, quod quaevis purgationis ſpecies auferat, auferri omnis putanda, et non mutari ſupra demonſtrata, eſt. Sed quorſum igitur eadem medicina, quod illa curandi ratio ſola monſtravit, uteris? Si levis ſudor, mador, quam diaphoreſin dicis, illius opus ſequitur,

tur, quod aut facere eam, aut tuae menti non reſpondere, tibi fatendum; nonne haec omni ex parte purgatio, tantumque, eſt, quantum, ſi ejus utendae conſilium, noxiam materiam auferre, profeſſum et agnitum, eſſet. Sed minor eſt, quia ad juſtum ſudorem non adſurgat. Exiguitatem ejus cum longa mora, utramque cum aegrotantis debilitate, conferas, et nimis magnam videbis. Sed non ſimplex hic purgatio eſt. Ita dari medicina, ut citra vomitum ſubſiſtat, non poteſt; eoque levis ſubinde vomitus permittitur. Qui, plurimos dies ſubinde recurrens, magna ſine purgatio erit. Sed ne hic quidem res ſtat; aliquid etiam amplius eſt. Primas vias purgandi et detergendi cauſa, praeterquam quod

quod plenus initio vomitus ſemel aut ſaepius praecipitur, ut pylorum etiam tranſeat, et alvum moveat, medicina dirigitur. Quod, utut parce, utut caute, perficiatur, diutius quoque permanens, minime parva tandem purgationis ſumma fiet. Triplex igitur purgatio, morando magna, major ſanguinis detractionem excipiendo, in tanta morbi ultro debilitate, porro debilitando et reſolvendo etiam major, his omnibus conjunctis rebus ingens ſit neceſſe eſt. Quam tamen exiguam dicendo, aut te ipſum, aut alios decipis. Si phlogiſtici morbi, puta, rheumatiſmi, viginti quatuor horarum ſpatio vis omnis ſaepe ſudore frangitur, qui ad quatuor educti humoris libras pervenerit; nonne tertia pars leniore purgandi ratione

ne multos dies aſſidue detra...
multo major purgatio ſine evadet.
Et, ſi omnis purgatio debilitando agat, quod certa res firmavit, et ipſe negare nequis, nonne in eo, quem morbi vis ad extremam debilitatem ſponte redegerit, illa, quam remedium fert, debilitas peſſimum eventum denunciet? Quod ita eſſe quis ignorare poteſt? Una alvi per ſalem Glauberianum purgatio phlogiſtico morbo ſolvendo, et podagrae, quae indirectae debilitatis eſſe poſtea demonſtrabitur, reducendae, par evadit. Quae res, quantum ad incitationem deminuendam haec purgatio valeat, luculento documento monſtrat. Quam potens eadem debilitatis cauſa ſit, opus ejus, ſanguinis detractioni, inter diatheſeos phlogiſticae auxilia,

 proximum,

proximum, clarissimo indicio firmat. Nec eodem non pertinet, quod alvus sponte liquida imbecillius hominum genus insignit. Eadem omnia de sudore, qui adversus phlogisticos morbos remedium valet, excepto ejus saevientium initiis usu, ubi incitationis magnitudo stimuli, primam illius actionem comitantis, impatiens (XIX.) est, qui imbecillis habitibus haeret, a validioribus abhorret, dicenda. Nec dissimile vomendi opus est. Quod purgationis genus in morbis phlogisticis rarius hoc adhibetur, quod eo satis humoris, quo sanguinis intus copia minuatur, haud facile aufertur, alias aeque profuturum. Ejus, corpus longe lateque debilitandi, et omnia vasa, maxime extrema ubique, resolvendi,

ſolvendi, vim teſtatur medicina, dum citra vomitum effectu ſubſiſtit, nauſeam tantum ſuſcitans, et madorem vel ſudorem per totam cutem fundens. Aliis quoque purgationibus ſimiliter imbecillos habitus exercet, et in pura debilitate poſitorum morborum, qualis podagra, qualis dyſpepſia, quin et ipſae febres, peſtis ipſa, ſunt, praecipua et perpetua ſymptomata vomitus, nauſea, cibi faſtidium, quae ex eodem ſtatu pendent, magnitudine adfectus tantum differentia, ut omnes norunt, exiſtunt. Quid tibi nauſeanti contingat, reſpice. Nonne omnes animi, omnes corporis, actiones, ſub ingratiſſimo ſenſu oppreſſae, imminutae, tantum non penitus extinctae, videntur, tuque tenui diſcrimine a mortis, a

nihili ſtatu, diſtare? Quid ſit vita, reputa. Nonne ejus citra morbum, atque etiam in hoc modico, quo validiores actiones omnes ſint, eo plus, quo languidiores, eo minus, ſubeſſe conſtat? In ſecunda undique valetudine, et per totos ad morbos phlogiſticos opportunitatis quaſi gradus, ab illa uſque ad juſti morbi adventum, tametſi morbi ſtatum excludas, qui modicus excludendus non eſt, tam reliquae omnes, quam ventriculi, actiones ſolidae ſuo robore ſtant? Quando jejunus ſtomachus valenti, aut habitum phlogiſticum citra morbum habenti, vomit, nauſeat, cibum faſtidit, immo non avide hunc deſiderat? Quando imbecilli omnes, quales ii ſunt, qui aſthenicorum morborum periculum adeunt, non aliquo ho-

rum

rum adfectuum; et morbis jam impliciti, quando non omnibus fere, adficiuntur? Quid eſt dyſpepſia, quid podagra, niſi in his vitiis maxime poſiti morbi? Valetne unquam in febribus ventriculus, aut in ullo debilitatis morbo, aeque ac in alio corporis ſtatu? Quod igitur perpetuum debilitatis indicium eſt, ejus ad robur, quod reſtituere ſolum hic conſilium eſt, imitatio conferre nequit. Rurſus eam vaſorum excernentium reſolutionem, in qua omnis purgatio poſita eſt, tecum, ſis, perpende. Quis eorum in ſecunda prorſus valetudine ſtatus, nonne denſitati et reſolutioni vitioſis medius? Quis in omni diatheſi phlogiſtica, magna, mediocri, parva, ab eadem ſecundae valetudinis tenui linea

ad ſtatum, qui indirecta debilitas ex nimia incitatione eſt, niſi major, quam in quovis alio ſtatu, incitatio, et huic magnitudine reſpondens denſitas, uno verbo diatheſis phlogiſtica, extrema vaſcula obtinens (CXIV.)? Quis, contra, in diatheſi aſthenica, ab ejuſdem ſecundae prorſus valetudinis limite ad extremae debilitatis, ſive recte, ſive indirectae, morbos, eorundem vaſculorum ſtatus? Nonne minimae incitationis, quae atonia vulgo dicitur, et huic magnitudine reſpondentis reſolutionis; uno verbo, diatheſis aſthenica, vaſculorum ubique fines occupans? Nonne nauſea, et toties accidens vomitus, praeceps alvus, ad ſudorem, praecipue ſub minimo quoque motu, aut mediocri quovis ſtimulo,

ſtimulo, proclivitas, eum ſtatum verum declarant? Si, ex omnibus extremis vaſculis, ad cutem tendentia ſola, et ne haec quidem ſemper, ſicca ſunt, nonne cordis debilitas (CXXI. p. 115. 116. 117.) eam rem facile explanat? Et, ſi non imminuta, ſed aucta, debilitate, iiſdem dein ſudor undique ſine graviore cauſa diffluit; nonne creſcentes eorum pro ratione diametri, minor uſque actio, tenuiſque ſub hac ſanguinis a ſpiſſiore parte ſecedens, et, qua data porta, effluens, (ibid. p. 120.) quae videatur et non eſt, expedit differentiam? Et nonne tua hujus manifeſtae debilitatis imitatio, dum nullam, ut fateris, nocentem materiam ejicit, pariter manifeſtam morbi debilitatem adauget, et malum effectum duplicat? Alvum te facilem

cilem ſervare, a dura ſuborienti irritationi occurrere, reſolventem ad cutem medicinae vim diffundere, et omne id leni purgatione facere, credis. Si id omne, et purgando, efficias, damnatas ubique nunc, et jure, alexipharmacorum purgationes ſuperas, plus infers detrimenti, nunquam ſpaſmum, qui fictus eſſe demonſtratus eſt (CIX. p. 127. 128.) moves, et debilitatis ſummam pro menſura purgationis, auges. Contra, ſi purgandi effectus, ob debilitatem aut ſtimuli alicujus, ei ſervando neceſſarii, defectum, non pro purgandi adparatu procedit, et humoris adempti copia minus eo nomine debilitat; dum ex parte tamen haec debilitat, ſimul perpetua nauſea, perpetua excernentium vaſculorum reſolutio, diu ſervatae,

vatae, non summopere debilitare, et a morbo suppetentem debilitatem augere, non possunt. Inter purgans, et incitationis vim frangens, opus, quae pestis, quae ira deorum, te tuaque curatione saevior, esse potest? Tibi tuaeque curationi purgatrici, profluvium alvi colliquans, sudor colliquans, sanguis undique effluens, pulsus innumerabiles, quos fictae irritationi imputas, fractae penitus vires, et mors certa, debentur. Huic, parem stragem nulla vehemens purgatio, qualis est quam damnas, habilis inferendo est. Ut, ab alexipharmacis, quorum pathologiam simul, et medendi usum, rejicere tamen simulas, talem curationem mutuatus es; illorum purgatricem

cem viam redintegras, et longe pejorem reponis; ita,

CXXII. Quam toto febrium curſu adhibes, antiphlogiſticam adminiſtrationem aliunde ſumpſiſti, et non ex propria doctrina, unde nihil ſponte, nihil ſibi conſtans, fluit, deduxiſti. Antiphlogiſticae, quaſi non in maleficium ſola ſufficeret, curationi inediam per totum febrium curſum adjicis. Quae, ut in phlogiſticis morbis recte praecipitur, quia ad noxarum potentiſſimam, ſanguinis in vaſis abundantiam, imminuendam, plurimum (XCVII. p. 69.) valet; ſic, ob eam cauſam, febribus exitio (XCVIII. p. 71.) manifeſta eſt. Qua in re, iterum doctrinae ſpaſmodicae addita, velut omnia in ſuam naturam vertens fermen-

tum,

tum, infelix pathologia phlogiſtica, oppoſitam, ceu neceſſitas clavo trabali, curationem trahens, adſcita ſibi mentis ſapientia comite, recurrit. Validiſſimis cibus, et aliqua potionis forma, multis conſuetudine merax, ad vitam neceſſaria ſunt. Paucorum dierum abſtinentia vulgo ſatis ad necem. Si haec robuſtos conficit, quo modo non imbecillos, extremoque languore et morti proximo jacentes, multo magis conficiat, et inſtantem finem adproperet? Sic ſenſus communis dictat. Si mentis ſapientia cibo, quia non deſideratur, interdicit, at alentem materiam liquidam, ſic concoctu faciliorem, et vitae ſuſtentandae habilem, dari poſſe, ratio ſuadet, experientia firmat: Quae, quia haec, parciſſime

ſumpta,

ſumpta, minime ſatis eſt, meracem, qua defectus expleatur, potionem inſuper, haud paulo largius, praecipiunt; hanc unam, ut tantum utriuſque detur, quantum accipi nullo incommodo poſſit, regulam ſtatuentes. Si vere inſcitiam Staahlianam, ut videri vis, repudies, qua te ratione, quo uſu, defendes? Irritationem etiam times; et, poſt Sydenhami clypeum, procedere, et proprio morte te defendere, metuens, callidus ac infirmitatis tuae conſcius, lates. Sed irritatio tua refutata eſt (CXXI. p. 117.), et vir illuſtris in hac parte erraviſſe, demonſtratus. Quo etiam auctore, cum, ut in quibuſdam morbis male, ſic, in juſtis febribus, tua uſus curatione, oſtendi non poſſit, hic aut non protegeris, aut, protectus

tectus non effugies, utpote cum cujusvis tibi errorem pro vero dandi nulla sit necessitas. In Sydenhamianis desertus, et adversario mox tradendus, ad Staahliana castra refugies, et quod nollit aegrotans, quam quod velit, tutius esse dices. Sed ne hoc quidem, ratione pariter, reque certa, falsum compertum (XCIV.), tibi, ad ultimas redacto angustias, dabitur; nec, toto morbi ad judicationem usque cursu, id cibi et potionis, quod accipi et prodesse possit, quia non cupitur, negandum; post eandem, quia cupitur, dandum, concedetur (XCVIII. 71. 72.). Denique quorsum sic, tibi impar, ratiocineris, teque harum, aut illarum, partium esse, modo quasi fatearis, modo inficias confidenter

eas, nunc celare te labores, nunc invitus et coactus prodas, semper, quantum fide valere possis, magnificum repertoris titulum tibi vindicans? Etiamsi in omnes te species vertas, et, obscuris ambagibus, frigidis verborum, re vacuorum, circuitionibus, pythiadis more, canendo; probationes differendo, nunquam futuras pollicendo; falsa, et, quia memoria lapsa sunt, non deprehensa, jam ante dicta, referendo; aliena pro propriis adrogando; bellulas animi contemplationes, ad omnia naturae, plusque, explicanda, sufficientes, veluti per modestiam, reticendo, incogitantes et ignaros lactes, ludas, decipias, excites, desiderioque aut admiratione, minus accendas, quam accendere nitaris; non tamen in doctrina, quae spasmodica nomine,

nomine, re nihil, eſt, proprium quicquam probaveris: Contra omnia alicunde,et aliunde alia,ſurrepta, eoque ſibi prorſus inconſtantia, quod ipſe ignorare non potes, alios quoque detexiſſe, quo animi adfectu non dicetur, videbis.

CXXIII. Ut aliqua ſpaſmi, qualis expoſita et diluta (CXVI.), defenſio frigide, impotenter, et quaſi vanam fore proviſo, tentata eſt; ita, decimi octavi ſeculi fine, ubi omnia naturae, omnia veri, ad experimentorum fidem jamdudum revocantur, aequiſſima trutina perpenduntur, rationum inanium futilitas repellitur, animi praejudicia procul ablegantur, nec acri cenſurae ipſe numinis cultus eripitur; quis, opinionem meram, nulla rationis, nulla veri, vel te-

 nuiſſima,

nuiſſima, umbra commendatam, ſolidiſſimis argumentis, item ipſi tuendae adhibitis, compertam falſam (CXVI.), poſt vanam omni falſae logicae genere defenſionem, pro re vera et certa oblatum iri, crederet? Quod utique, quantumvis fidem ſuperans, factum. Et ſpaſmus, qui, quod diſtentio neceſſaria deeſt (CXV.), quod propriis is argumentis (CXVI.) conciditur, quod contrarius (CXVII. p. 105. 106.) credito ejus effectui ſtatus occurrit, quod noto opportunitatis ſtatui (CXVIII.), noto noxarum excitantium, et auxiliorum, operi idem diſcrepat (CXVIII. p. 107. 108. 109.), quod in eo doctrina traditur, ubi noxae excitantes et remedia, cauſa et conſilium, non ſolito modo (CXIX. p. 110.) inter ſe opponuntur,

nuntur, ubi nullum noxarum, nullum remediorum, commune opus, reperitur, contra omnia omnibus diſſident (CXIX.), ubi nihil novi, nihil proprii adfertur (CXX.) ſed priores errores verbis diſſimulantur, re adſciſcuntur, et amplificantur; non ſolum a febribus alienus, ſed non omnino, eſſe (CXVI. ad CXIX.) demonſtratus eſt, abruptim tandem, tanquam res vera, obtruditur. Ecquid verum contra rationem claram, res certas, eſſe poteſt? Ecquid Sydenhamus, ecquid generis humani decus Neutonus, dicendo, et non, ille curationibus efficacibus, hic demonſtratione clara, fidem invenerunt? An ultimum argumentum, το αὐτος ἐφη, in rudi humanae ſcientiae ſtatu, maximo in moribus viro male decenter ad-

 hibitum,

hibitum, tibi, ſcilicet, ſi diis placeat, adhibendum? Quis tu es?

CXXIV. Adeo ſpaſmus verus adfectus non eſt, adeo ejus ſolvendi cauſa, quae adhibentur, auxilia, non ſolvunt, nec ullo modo quicquam ad ſalutem conferunt; ut, e contrario, ſingula perniciem, omnia certam, ferant. Difficile morti eripietur febricitans, primum ſanguine privatus; difficilius dein etiam purgatione multiplice, longa, continuata, digeſtus; etiam difficilius, toto morbi curſu fame, negato potionis aliove ſtimulo neceſſario, confectus. Quod in aliis, toties, nondum eventu cognito feciſti, id quo certius aliquando tibi ſit, non enim levem rem hominum vitam eſſe, decori ſaltem reverentia fateberis, ipſe de te periculum facias. Sis primum

quavis

quavis noxa debilitante, ut dolore animi, ut fame, ut consueto vini stimulo subducto, ut sanguinis aut aliorum humorum profusione, immodica venere, a priore morbo relicto languore, exhaustus, sed nondum justo morbo implicitus. Contagio, ne nihilo melior hic, quam febrilis, status videatur, absit. Dein sic te habens, cubiculo concludaris; mox cubili defigaris; omni cibo, omni potione, praeter aquosam, protinus, tibi et per decem, duodecim dies, aut amplius, interdicas. Demptis initio viii. vel x. sanguinis unciis, per totum illud tempus, sumpta medicina, subinde nauseas, subinde vomas, subinde alvum solvas, semper, nisi omni stimulo, quo vita jacens vel minimum suscitetur, deficiente, sudes, saltem

ſaltem toto corpore madeas. Denique, ſi tempus hybernum, frigida regio, ſit, ſtragulam veſtem leves; frigori perpetuo pateas. Poſtremo, vino aut validae potioni quotidie adſueto, hujus diluti paullulo aliquis labra, tibi, nam nunc demum non ipſe poteris, tingat. Unus et alter vir prudens, nam quo medicinae, qualem excolis, imperitior ſit, eo, ſive teſtis, ſive judex, magis idoneus erit, hoc experimentum ſpectet: Et, ut factorum, curatione tali funerum, noviſſimum tuum ſit, nuncius is efficiet. Ut certa igitur doctrinae ſpaſmodicae pernicies, ad eam evertendam, argumentum ſola ſufficit, ita ſupra expoſitorum vim, quae, ſingula fere eodem, multo magis omnia, pertinent,

nent, addita, ſolidiſſimo pondere roborat.

CXXV. Et dum eadem, licet efficacior nulla oſtendi poſſet, tamen omnibus, quotquot vitam humanam exercuerunt, peſtibus conjunctis fugienda magis eſt; an, efficaci demum compertae, quam ratio pariter et certus uſus probavit, anteponenda videri poteſt? Cum ficta febrium cauſa, ſpaſmo, ficta curatione, nimiopere antiphlogiſtica, quas haec adfert doctrina, conferas.

CXXVI. Spaſmus febrilis nihil aliud eſt, quam diatheſis aſthenica (XXX.), in cute, quam intus, per caloris indirectam, aut rectam frigoris debilitatem, illuc magis incumbentem, paulo vehementior; (XXXVI.XXXIX.LII.)perſpirati-

onem

onem prius, ob cordis et arteriarum cum reliquo corpore communem debilitatem, imminuens; dein hac, alibi et per omnia vaſa creſcente, horum diametros amplificante, perque earundem inertiam, tenuiorem ſanguinis a ſpiſſiore parte ſecedere ſinente, cutis excretionem ſupra modum adaugens.

CXXVII. In hac cauſa febres adfectus ſunt, nullo loco, ampliore, anguſtiore, extrinſecus, intus, contentus, ſed toto corpore diffuſus; qualem noxarum excitantium, in totum corpus agentium (XLI. XLII. XLIII.), opere naſci credas. Conſilium medendi pariter in nullum locum dirigitur, ſed ad totum corpus extenditur; (LXXXV. I) ſcilicet, ut imminuta ubique incitatio augeatur. Quod perficientia, auxilia ſtimulantia (LXXXV.

(LXXXV. LXXXVI.), ea potissimum sunt, quae imbecillum ventriculum, et crassiora ferendo minus idoneum, non degravent, sed incitabilitatem aequaliter moveant. Quae doctrina reliquae omni, hactenus traditae, et omni ex parte, convenit. Noxae excitantes, causa, consilium, auxilia, omnia hic, eadem, quae reliquorum morborum, in debilitate positorum, sunt. Nec contagiosa materia, corpore pro certo recepta, per morbi cursum retenta, dein vasis excernentibus ubique rejecta, novi quicquam aut in causa, nisi ut morbi formam det, et effectum communium noxarum, nempe, debilitatem, augeat; aut in consilio, nisi, ut temporis, quo ejiciatur, aliquod requirat, eoque perspiratione

ne libera et expedita, quam auxilia communia, nulla propria, praeſtant, indigeat.

CXXVIII. Quibus rebus, quantum haec cum ab aliis; tum a ſpaſmodica doctrina, differat, haud obſcurum eſſe poteſt. Illis eadem omnia, quae ſupra relata ſunt (XCIV. ad CIX.) objicienda, huic praeter fuſius (CIX. ad CXXVI.) deinde commemorata, hoc inſuper vitio vertendum; quod, qui febribus tribuitur, ad alios ejuſdem ſpeciei morbos, ſpaſmus, non extenditur, ſed ſuae fere cauſae propriae ſingulis adferuntur. Qua in re, quae ex eadem cauſa, levibus quibuſdam nullius momenti proprietatibus exceptis, proficiſcuntur, eodem opere mutantur; ea tamen alia eſſe, contra notas naturae leges,

ges, finguntur. Certe, si aliquot morbos eaedem noxae excitantes creant, eadem auxilia tollunt, quod, levibus quibusdam proprietatibus exceptis, verum est; iis eadem quoque causa sit, eadem levi exceptione tenus, necesse est. Hinc, dum spasmodica, et omnis alia doctrina, vero pariter, et sibi ipsis, in omnibus morbis, omnibus singulorum partibus, omnino diffidet, falsas perpetuo species fingit, a naturae simplicitate toto coelo recedit, artis rationes pervertit, curationes transversas agit; ei ex toto contraria haec doctrina, praeter relatam omnes morbos ad duas species redigendi simplicitatem (XXVII. XXX.), huic congruam in medendi ratione ubique servat. Quae non paucis morbis, maxima parte exclusa, nec

his, exclusa opportunitate, continetur, sed in omnes, suae utraque speciei, morbos, et respondentes opportunitates, penitus descendit. Sic, quae curatio febrium traditur, eadem omnibus in debilitate positis morbis, semper idiopathicos intellige (LXXVI. LXXVII.), medendo pariter et occurrendo habilis, nullo nisi magnitudinis, quae diatheseos morbosae magnitudini semper accommodanda est, discrimine, convenit. Et, quae idonea peripneumoniae, aut cujuslibet morbi phlogistici, curatio, eadem omnium ejusdem speciei morborum, opportunitatis omnis, eodem magnitudinis discrimine servato, communis est. Ut curatio communis absolvatur;

CXXIX. Cum imminuta potestatum incitantium opere, procedente aetate, incitabilitas validius usque idem requirat (XIV. XV. XVI. LIV. LVIII.), et, parcius eodem admoto, in debilitatem indirectam ruat; ideo non, ut vulgo fieri solet, si quis plenius et uberius vixerit, eum, jam aetate provectum, nedum confectum, plethora et vigore nimio laborare, protinus censendum; sed contra, nisi recens hujus causa, quod fieri potest, pateat, indirecta debilitate, eoque magis, si recta debilitantes noxae nimis paulo ante roborantibus successerint, premi judicandum (LVIII.): Et non debilitans seu antiphlogistica curatio, quae rectam, nec nimis phlogistica, quae

 praecipuam

praecipuam caufae partem, indirectam debilitatem, eoque morbi vim, augerent, adhibenda, fed media via, quae tonica dici folet, infiftenda. Hoc unum praeceptum fere totam morborum fecundae fpeciei curationem, vulgo receptam, totas, ut fuo loco demonftrabitur, rationes evertit, et novam prorfus medendi fcientiam fufficit.

CAP.

## CAP. II.

## DE DIATHESI PHLOGISTICA.

CXXX. Corporis ſtatum, quo, ad morbos phlogiſticos opportunitas, hiſve ipſi continentur, diatheſin phlogiſticam, (XXX. XXXI.), creantium poteſtatum (VII. VIII.),

CXXXI. Calor, animalibus et plantis, naſcentibus, creſcentibus, et vigentibus, item elementorum formae, neceſſarius, ex ſummo, cui adjicitur, corpore animato, univerſum recta, niſi ad extremum

nimius, ſtimulat; medocris juſte, major, ut diatheſeos phlogiſticae plus minuſve inferat. Hinc omnes actiones prius augentur, dein partim imminuuntur, partim perturbantur (CIX. p. 90. 91.).

CXXXII. Propterea quod ejuſdem actio paulo magis in cute, quam intus, ubi immutabilis fere temperies, intenditur; ideo illic, quam hic, paulo magis ſtimulat (XXXVI.). Qui ſtimulus fibrarum ubique muſcularium tonum, eoque denſitatem (LI. LII.), amplificat. Unde, ut vaſorum omnium diametri imminuuntur, ita extremorum ubique, et magis in cute, ubi major cauſae vis, ex toto ſaepe delentur. Sed juſta ſuppreſſio, ab opportunitate aliena, ſola diatheſi, ad morbi modum

dum aucta, nascitur, pro spasmo nuper haberi coepta.

CXXXIII. Hinc in rubeola, et clarius in variola, materia irritans retinetur, in omnibus morbis phlogisticis perspiratio supprimitur, incitatio tam in summo, quam toto reliquo, corpore intenditur, et aeque, ac a frigore, inducitur catarrhus.

CXXXIV. Frigus(VII.),animalibus, plantis, et elementis inimicum, reliqua corporis,magisque summum, cujus solius temperiem imminuit, recta, et pro magnitudine semper, debilitans, dum citra eam, quae extinguendae vitae sufficiat, magnitudinem subsistit, a quovis, maxime caloris, stimulo exceptum, incitatio crescens sequitur. Qua idem actionem peragit,caloris,adeo necessarium

ſarium (CXXXI. CXXXII.), ſtimulum ſummovendo, ſic aliorum omnium ſummam imminuendo, incitabilitati, quae pro ſtimuli uſque magnitudine decreſcit (XV.), et contra (XVI. XXIII.), abundandi facultatem dando, finitoque ſuo opere, jamque ſtimulorum ſumma reſtituta, aptius incitatu corpus denique praeſtando. Qui igitur frigori ſoli vulgo tribuitur effectus ſtimulans, is, illius opus debilitans ſuperantibus aut excipientibus, ſtimulis tribuendus. Hinc, in regionibus frigidis, defenſi veſte, domo, igne, motu ſuo, corporis animati vigor. Hinc, nunquam ſolum, ſed concurrentibus aut ſuccedentibus, quae nimio ſtimulo incitant, poteſtatibus, diatheſis phlogiſtica, actiones nimis augens, dein

aliquas

aliquas imminuens aut perturbans.

CXXXV. Ut eodem, quo inanimem materiam, modo frigus corpus animatum adſtringere quoque poteſt, ita haec adſtrictio, quia frigoris id, quod eam efficiendo par ſit, paulo diutius haud toleratur, morando invaleſcere, poſtve cauſam perſiſtere, nequit. Cohibita in phlogiſticis malis perſpiratio, et hanc comitantia, a ſpaſmo aut frigore, adſtringendo agente, eſſe vulgo credita, nihil aliud ſunt, quam aucta in cute (CXXXII.), communis diatheſis, caloris et aliarum poteſtatum incitantium (VII. VIII. LXXXVI.) ſtimulo validius, ob cauſam relatam (XXXVI. LI. LII. CXXXII. poſt frigus agente.

CXXXVI.

CXXXVI. Debilitans frigoris effectus ita humore augetur, ut saepe noxae sit, semper esse, nisi accurate et mature ei occurratur, minitetur. Sed in diathesi phlogistica, succedentium stimulorum effectum (CXXXV.) augendo, in contraria, debilitare perstando, nocet.

CXXXVII. Ex victus partibus (VII.) solus cibus, stimulare nimis periclitans, caro est, et ex hac parata materia, largius assumpta. Salsa nimis durataque, maxime ubi jam corrumpi coepit, excipienda. Hic stimulus, ut ad totum corpus pertinet, eo diffusibilis vocandus, ita ventriculum paulo magis, reliquarum partium pare quavis, adficit (XXXVI.)

CXXXVIII.

CXXXVIII. Eodem condimenta pertinent; quorum aliquid, ob ſtimuli vehementiam, exiguum perquam ſufficit.

CXXXIX. Potio ſpirituoſa vel vinoſa, in qua ſemper alkahol diluitur, cibo condito citius et brevius, et pro alkaholis copia, ſtimulat.

CXL. Hae omnes victus partes (XXXIV. XLI.) ut diffuſibilem, ita rectum, ſtimulum poſſident. Rectus dicendus, quod in incitabilitatem, cui incumbit, partis protinus dirigitur (XLII.). Eundem, ſaltem qua cibum reſpicit, adjuvat alius, ex fibrarum muſcularium diſtentione modica pendens, ideo indirectus nominandus. Hunc carneae materiae, et ex plantis ſumptae,

ſumptae, cujus rectus ſtimulus imbecillus eſt, ſola moles praebet.

CXLI. Stimulo porro eſt, a carnea materia ortus, chylus et ſanguis, bonus, abundans. Hoc incitatio ubique, et prae reliquis locis paribus, in vaſis ſanguiferis, eo magis, quo is abundantior ſit, intenditur (XXXIV.). Genus ſanguinis nihil, ſaltem ut cauſa, et ſola abundantia valet. Quae, muſculares vaſorum fibras diſtendendo, conſtante impetu agit. Pervulgata plethora ſoli diatheſi phlogiſticae convenit, et hujus magnitudini reſpondet.

CXLII. Idem hic effectus (CXLI..), velocitate ſanguinis, eoque illo corporis, quem ipſius muſculi peragunt, motu, ſanguinem, compreſſis venis, celerius ad cor reducente, creſcit ?

CXLIII.

CXLIII. Nihil hoc ſtimulo (CXLII.) ad diatheſin phlogiſticam et morbos, in hac poſitos, concitandos, efficacius. Qui tanto magis ingraveſcunt, quanto abundantior ſanguis ſit, et rapidiore impetu percitetur. Hoc omnia iſtorum morborum ſigna, maximeque arteriarum pulſus, hoc ſanguinis detractio, alvi purgatio, et inedia, ad ſalutem adeo efficacia, et in contrariae notae morbis manifeſte nocentia, declarant.

CXLIV. Secreti a ſanguine humores, et alius aliter, ſua vaſcula diſtendendo, etiam ſtimulare intelliguntur. Ad quam rem lac et ſemen, ſuis utrumque vaſis adundans, item humor perſpirabilis, maxime valent. Inſtrumenti ſecernentis commotio per incitabilitatem,

tatem, quae una et indivisa ubique subest (XXXIV. XXXV.), facile toto corpore diffusa, quoties justo major est, conjunctis aliis nimis incitantibus potestatibus, diathesi phlogisticae accendendae est.

CXLV. Cogitatio (VIII.), in cerebrum, cui recta admovetur, magis, minus in reliquarum partium quamque, agens, incitationem toto corpore intendit. Ejusdem contentio, sive magna semel incidens, sive minor, saepius iterata, vel in consuetudinem deducta, sola noxae alicui, cum aliis potestatibus incitantibus, stimuli quoque magnitudine nocentibus, conjuncta, majori esse, et diathesi phlogisticae faciendae par evadere, potest. Id cogitationis, quod incitabilitatem consumat, utpote

quod

quod poteſtas eventu debilitans ſit, hoc loci excipitur.

CXLVI. Adfectuum animi vehementia, puta, irarum moles, dolor acerbus, moderaminis expers gaudium, quae eo magnitudinis non procedunt, qua incitabilitatem exhauriant (XIX. XX), eodem pertinet, quo cogitatio, eaſdemque rationes recipit.

CXLVII. Quid de aëre (VII.) cenſendum, excluſa temperie, ſit, poſtea dicetur, cum ad proprias quaſdem noxas, contagiones (XVII. β. LXVII. LXVIII.) perventum fuerit.

CXLVIII. Ex harum omnium poteſtatum (CXXX. ad CXLVII.) raro ſeparato, ſemper fere conjuncto opere, diatheſis phlogiſtica, ſive in opportunitate ſubſiſtens, ſive ad morboſi ſtatus modum aſſurgens,

nec ab ulla corpori insita vi (V.) subnascitur.

CXLIX. Ad eandem creandam inflammatio partis nihil in non opportunis eo valet; quod haec sine diathesi saepe incidit; quod in morbis, quibus semper fere inflammatio adhaeret, ea diathesin perpetuo, pyrexiam ipsam plerumque, sequitur, et hanc nunquam praecedit; quod, quorum morborum pyrexia ab inflammatione partis pendet, eos sola hujus solutio solvit, et diathesin phlogisticam certo tollentia nihil fere agunt; quod, sicubi partis inflammatio morbum phlogisticum facere videatur, eadem in aliis habitibus, aut eodem alias, manifeste alium procreat, quo clarius, eventum a diathesi dirigi, non hanc inflammatione nasci,

ci, ſcias; quod in quibuſdam caſibus, ubi morbi phlogiſtici ſimulacrum quodam adparet, inflammatio, quae pro cauſa vulgo habetur, ipſa diverſi mali ſymptoma eſt; poſtremo, quod naſcentis inflammatione morbi opinio opportunitatem in eum non neceſſariam falſo ponit (LXXV. LXXVI.)

CL. Stimuli, acria et compreſſio, in partem agentia et hanc vitiantia, poteſtatibus, diatheſin phlogiſticam creantibus, non annumeranda. Nam, ſi in hanc diatheſin incidant, ea morbum concitat, ſi non, is non phlogiſticus adfectus, ſed hujus ſimulacrum, eſt, cauſa, ſignis, et curatione diſcrepans. Nec eorundem alia in hujuſmodi morbis habenda ratio eſt, quam, ut, caſu conjuncta, nocere,

et, quantum fieri poffit, amovenda effe, intelligantur. Sed nunquam eorum effectus cum incitationis, morbos phlogifticos facientis, effectibus, quod vulgo tamen fit, confundendi. Quorum compreffio alio etiam nomine rejicienda, quia diverfi morbi, five communis, five localis, fymptoma eft, et in omni pariter, et nulla, diathefi valet.

CLI. Sic exortae (CXXX. ad CXLVII.) diathefeos phlogifticae caufa eft, ex poteftatum (CXXX. ad CXLVII.) relatarum opere, major jufto ubique corporis vivi incitatio, omnes actiones prius augens, dein aliquas perturbans, alias, fed nunquam, quamdiu fubeft, debilitando minuens. Eadem igitur omnium

omnium morborum phlogiſticorum, et praeterea nulla, origo.

CLII. Ante perturbationem (CLI.), quae, niſi poſt juſti morbi adventum, nunquam, ac tum quoque tantum in graviore ejus impetu, accidit, ſenſus omnes acutiores, motus voluntati pariter, et non, obtemperantes, validiores, ingenii acumen, majus ſenſibilitatis et adfectuum vis, cernuntur. Cor et arteriae vigere harum pulſibus, extrema in ſummo corpore vaſcula calore, muſculi omnes robore, ſecretiones internae lactis, ſeminis copia, inſtrumenta digerentia cibi deſiderio, digeſtione, corporis vigore, et manifeſta ſanguinis abundantia, declarantur. Quantum mentis et adfectuum facultates augeantur, earum in hac diatheſi,

diathesi, in prospera valetudine, in secunda morborum specie, et ad hanc opportunitate, comparatio docebit. Sic augentur prius (CLI.) actiones.

CLIII. Quarum perturbatio, quamdiu nimia incitatio subest, ne in morbi quidem statu ita adparet, ut nimii vigoris indicia non clare cernas (CLI.).

CLIV. Conditio perturbans est nimia, ad extremum diathesis seu nimia toto corpore incitatio qua fit, ut, procedente morbo, multa indirectae debilitatis (XIX. XX.) signa, quae alîus loci sunt, prodeant; item nimia eadem partem, vitae necessariam, aut summopere sensibilem, premens; quae cum reliqui corporis incitatione, non haec cum ea, necessario conjungitur. Debilitans

tans conditio eſt diatheſeos vis (XXVII. CXXX. CLI.), perſpirationem cohibendo, horrorem, languorem, et laſſitudinem pariens, et ventriculi actionem, fibras ejus muſculares, nimis incitando, imminuens, aut aliter nocens, ut fuſius ſuo loco dicetur.

CLV. Quoniam hi effectus (CLI. ad CLIV.) ab incitatione (XXVII. CXXX.CLI.CLIV.) nimia proficiſcuntur, et debilitantibus auxiliis tolluntur; inde eos non debilitas, ſed incitatio major, quam quae juſtis actionibus faciendis idonea ſit, cauſa continere intelligitur.

CLVI. Poteſtates incitantes toto incitationem corpore creant augentque, propterea quod una toto et indiviſa incitabilitas (XXXIV.) eſt, et, ubivis adfecta, ubique adficitur

(XLI.

(XLI.XLII.).Rurſus unam aliquam, quam reliquarum parem quamvis, partem (XXXVI. XXXVII.) magis movent, quod ei recta, et alii alia, incumbunt (XXXVIII.).

CLVII. Eaedem actionum vim quatenus non imminuunt, id faciunt, quod recta nimiſque ſtimulant, nec ſtimulum ad id magnitudinis perferunt, quod indirecta noxa debilitans (XV. XIX. XX. LIII.) evadat. Nonnullas, ut muſculorum, ut cerebri, et ventriculi pro tempore, actiones hoc imminuunt, quod, ad has recte perficiendas, vis ſtimulatrix immodica minus idonea eſt. Qua deficiente (XLV.) illud fieri cave credas, et a dyſpepticis ſymptomatis, longis, e debilitante origine manifeſtis, cum ejuſdem notae

tae concurſu conjunctis, atque ſtimulante opere tollendis, diſtingue.

CLVIII. Incitatio, cerebrum aut pulmones urgens, et eorum perturbans actiones, propterea fit, quod exquiſitior illic diſtendentis ſanguinis ſtimulus, et ibidem, quam alibi, majori fere incitabilitati occurrens (XXXVIII.), utriuſque effectum (XIII. XIV.), incitationem, altius quoque tollit, inſtrumentis nocet, et ad eum partis ſtatum, ubi incitabilitas in eo eſt, ut ex toto exhauriatur (XIX.), prope accedit.

CLIX. Horrorem et frigoris ſenſum cohibita perſpiratio, hanc diatheſis phlogiſtica, in cutis vaſis exquiſitior(CXXXII.ad CXXXVII.), faciunt. Exquiſitior hic, quam intus, diatheſis eo eſt, quod aut ſolius

lius nimii caloris hic, quo recta admovetur, quam intus, aliquanto validius (XXXVI. CXXXII.) opus eſt, aut, frigore praecedente, et incitabilitatem augeri ſinente, etiam in majus attollitur. Quod neque ſpaſmo, neque frigori adſtringenti, tribuendum, docent eaedem poteſtates nimis incitantes, quae reliqua, haec quoque, ſymptomata facientes; et eadem, quae reliquam morboſi ſtatus partem, etiam hanc tollentia, remedia.

CLX. Debilitatis ſigna diatheſeos in juſtis morbis phlogiſticis vehementiam ſequuntur, quia incitationis, non ad extremum tantae, ut protinus eventu debilitet, mora eodem pertinet, eundem effectum trahit.

CLXI. Quod quia, intra [illegible] opportunitatis fines, et in leviori-bus ejusdem notae morbis, non accidit, inde, quare in his debilitatis signa minus conspicua sint, addiscitur.

CLXII. Gravius partem urgens incitatio, ejus saepe, ut instrumenti, formam aut texturam mutat.

CLXIII. Eadem (CLXII.), ob magnitudinem extremam, in imminutam aut nullam eventu transiens, parti etiam, ut instrumento, sed aliter nocet. Utramque rem inflammationis fines, illam suppuratio, hanc effusio, gangraena, et inflammatio longa, illustrant. Haec vitia localia, ex idiopathicis morbis phlogisticis nata, medico prohibenda, aut, hoc

non facto, quantum potuerit, medenda.

CLXIV. Comitans aut consequens quosdam morbos phlogisticos inflammatio exterius plerumque corpus adfectat, quia calor, recta stimulans, aut frigus, incitabilitatem crescere sinens, et sic caloris et aliorum stimulorum effectum augens, illuc potissimum incumbunt, et, perspirationem supprimendo, in vicinia diathesin phlogisticam attollunt. Nam

CLXV. Inflammatio hic nihil aliud est, quam partis inflammatae, cum reliquo corpore communis, status auctus. Quam ut auctior in quodam, quam pari alio loco, incitatio, facit, ita, ante morbum, cujus pars vel symptoma inflammatio est, ejusdem loci, quam cujusvis

cujusvis alîus, incitatio pro ratione major intelligitur (XXXVIII.).

CLXVI. Effusio, quandoque morbos phlogisticos sequens, sanguinea aut serosa est, et a vasorum partis incitatione extrema, incitabilitatem ibidem exhauriente, ideo ipsa desinente, et sic fibras musculares, ut firma simplicia, relaxari, vasorumque diametros ampliari, sinente (XIX. L. LI. LII.), pendet. Hinc humorum sine vi a tergo profusio.

CLXVII. Idem in gangraena, et ex eadem causa, incitationis in parte finis, cum simili fibrarum resolutione, intra pariter et extra vasa laborantia humores quiescere, stagnare, corrumpi sinens, in texturam deletam et mortem partis desinit.

CLXVIII. Inflammationem longam facit vasculorum, sub acuta laborantium, distentio, minus ipsa relaxans, quam ut inde effusio aut gangraena fiat, sed ita tamen, ut sanguinis solito plus ex levissima quaque causa, puta, calore aut vasorum motu auctis, recipiant, receptum obtineant, et satis longum adfectum trahant.

CLXIX. Ut ii (CLXVI. CLXVII. CLXVIII.) morbos phlogisticos causae continentis effectus, seu fines, eo quidem, quod illorum morborum occasione incidunt, hic erant memorandi; sic eorum a phlogistica doctrina aliena explicatio ad alium locum pertinet. Qua hic paucis tradita, usui, magis quam ordini, consultum.

CLXX.

CLXX. Quanquam musculares vasorum sibrae tanto validius contrahuntur, et suas imminuunt diametros, quanto a persluente sanguine magis distenduntur, et inde phlogistica tam reliquorum omnium vasorum, quam inflammatorum, diathesis haud dubie aliquando est (LII. CXLI. CXLII.); tamen firmorum simplicium, sive illae ipsae fibrae, sive aliae, incitabilitatis prorsus expertes, ejusmodi esse judicentur, ad eum firmandum effectum, fulcro opus est. Quod in omni fere diathesi phlogistica, sive minore sive majore, sive morborum periculum, sive hos ipsos faciente, praeter unam morborum proprietatem, saltem his magis, suppetit.

CLXXI. Haec (CLXX.) ea est, in qua, dum omnia, diathesin

ſin phlogiſticam praeſtantia, alias conveniunt, firmorum ſimplicium moles, aut particularum cohaeſio, aliquantum deficit. Hinc, dum ſanguis, ut in reliquis hujus ſpeciei morbis, abundat, abundans diſtendit, diſtendendo ſtimulat, eoque ſtimulo muſculares vaſorum fibrae pro rata parte contrahuntur, aliquantum tamen hae, ſimplicibus firmis minus ſuffultae, cedunt diſtentioni. Hoc poſſe eſſe, rupta toties proxime cor aorta, firmorum in acutis haemorrhagiis, quas haec obſervatio reſpicit, nota tenuitas, et obſtinata multorum, alioquin validorum, macies declarant; ita eſſe, eadem haemorrhagicorum facies, et curatio quantum propria eſt, evincunt.

CLXXII.

CLXXII. In hac proprietate idem vaſorum partis, ac reliquorum omnium, ſtatus, niſi quod quaedam exigua, et a vicinis partibus minus firmata, rumpuntur aut dilatantur.

CLXXIII. Phlogoſes in cute exanthematicas facit contagioſa materia, illic collecta, et ſtagnando acris facta. Quae igitur ſymptomaticae.

CLXXIV. Typhi propria confertam eruptionem ſequentia, diatheſi phlogiſtica ad extremum nimia, jamque eventu debilitante, naſcuntur.

CLXXV. Ut cauſa, diatheſin phlogiſticam continens, ea eſt, quae ſupra (CXLVIII. CLI.) expoſita; ita medendi conſilium, inde trahendum, eſt nimiam ubique corporis incitationem uſque imminuere,

imminuere, dum ad id, quod secundam valetudinem causa continet, descendat (LXXXV.).

CLXXVI. Id praestantia auxilia sunt potestates, quae, nimis stimulando, diathesin hanc creant (CXXX. ad CXLVII.), eo tenui et deducto stimulo, quo incitationis, quam secunda valetudo requirit, minus dent, seu debilitent, agentes (LXXXVI.) Itaque, ut eaedem potestates, nimio stimulo nocentes, stimulantia dictae sunt; sic deficiente juvantes, debilitantia dicendae, nulla enim sedat (XVII.).

CLXXVII. Ea temperies, quae calor nominatur, hic omnino vitanda, quia solum ejus, quod debilitat, nempe, nimium ad extremum, ad id magnitudinis perduci, quo debilitet, sine noxae aut perniciei

niciei ex nimio ſtimulo periculo, non poteſt (XIX.).

CLXXVIII. Ubi vero diatheſis, et hanc continens incitatio aucta, paulo lenior in juſti morbi ſtatu eſt, eo caloris, quod ſudorem vel tepidum pedum balneum comitatur, non interdicendum; quia plus aliquando commodi in illo humoris jactura, in hoc gratus ſenſus, promittunt, quam incommodi calor modicus minatur.

CLXXIX. Ante omnia poſt frigus paulo intenſius calor fugiendus, quod ejus, incitabilitate frigore aucta, validius opus evenit; hoc magis metuendum, quo magis alii eodem tempore inſtare ſtimuli ſolent.

CLXXX. Temperies hic opifera frigus eſt, quod nullus paulo

major calor excipiat. Corrigendus igitur is in medendi usu error, quo frigus, stimulando, diathesi phlogisticae nocere creditur; idemque non tam magnitudine debilitante, quam vitato post ejus opus caloris stimulo, variolae prodesse intelligendum. Idem, eadem cautione adhibita, efficacissimum catarrhi, quem calor aut solus, aut frigori succedens, aut cum eo alternans, et alii stimuli faciunt, sive solum, seu cum aliis rebus debilitantibus conjunctum, auxilium nuper repertum.

CLXXXI. Unde, et quia pileum, ex terra recens effossa confectum, in phrenitide profuit; idque frigoris, quod gelu et nivem facit, nudo corpori admotum, synocham cum delirio sustulit; adeoque idem

adversus

adverſus variolam valet; ob has cauſas in totum opportunitatis, totum morborum, ex diatheſi phlogiſtica pendentium, orbem uſus ejus proferendus.

CLXXXII. Nullam noxam ab adſtringente frigoris poteſtate credita, in diatheſi phlogiſtica, eſſe, argumento eſt maxima ejus in variola, ſummo corpori incumbens, vis, eo liberiorem perſpirationem ſervans (CXXXIII. CXXXV.), quo major ipſa ſit.

CLXXXIII. Quo certius diatheſi phlogiſticae, adhuc morbos facere tantum periclitanti, modereris, carne et confectis inde ciborum formis parcendum, ex plantarum genere paratis liberius utendum. Eandem diatheſin, ad morbi modum auctam, carneac materiae,

maxime

maxime firmae, abſtinentia, ex plantis maxime fluentis, non nimius uſus, optime, quantum cibi adminiſtratio valet, adimunt (CXXXVII. CXL.).

CLXXXIV. In omni hujus diatheſeos parte condimenta fugere praeſtat (CXXXVIII.); quae in morbis veneno ſunt.

CLXXXV. Eidem potio aquoſa convenit, merax omnis obeſt, eoque magis, quo plus alkaholis contineat (CXXXIX.). Eadem, niſi perquam imbecilla, in morbis perniciei eſt. In quibus cereviſiae tenui, quam magnus auctor recepit, aqua, magiſque adjecto acido, praeſtat.

CLXXXVI. Quoniam indirectus cibi ſtimulus rectum adjuvat, id eſt, per totum corpus ſtimulum dimittit, ideo, etiam convenientis, materiae

materiae moli finis ſtatuendus (CLXXXIII.).

CLXXXVII. Ad ſtimulum, quem longe lateque chyli et ſanguinis abundantia corpori recta admovet, imminuendum, haec, ubi maxima eſt, inedia, ſanguinis detractione, et alvi purgatione, tollenda: Ubi modica magis in morbis eſt, ſupra (CLXXVII. ad CLXXXVII.) praecepta, minorem diatheſin ſpectantia, ſervanda; ſcilicet, alvi ſubinde purgatione, cibo parciore ſtandum, ſanguis, non demendus; et, ſi qua paulo plenior cibus erit, per exercitationem lenem et frequentem perſpirationi conſulendum.

CLXXXVIII. Haec eadem (CLXXXVIII.) nimiae ſanguinis, quantum ab abundantia pendet,

velocitati medebuntur. Quam a motu corporis vehementiore (CXLII.) pendentem, in diathesi minore, opportunos morbis faciente, hisve implicante, exercitatio parcior, quietis plus, et aliorum stimulorum minus, imminuent. In maxima, quae graves morbos causa continet, diathesi ad tardandum sanguinem omnium potestatum incitantium stimulus accurate cavendus, sanguis profundendus. Quietem vero, quae, vel invitis aegris, necessario servatur, praecipere supervacuum.

CLXXXIX. Quem stimulum secretorum humorum in ductibus excernentibus abundantia distendendo praebet, hanc creantia sublata tollunt. Sit igitur frequentior concubitus, auferatur lac, cibus

bus minus alens ſumatur, reducatur, ſoluta phlogiſtica in ſummo corpore diatheſi, perſpiratio (CXLIV.).

CXC. Conveniens ejus, quem cogitatio, ſive vehemens, ſive aſſidua, fert, ſtimuli remedium cogitationis remiſſio, eave contentio, ſive magnitudo, ſive frequentia ſpectetur, quae, incitabilitatem conſumendo, eventu demum debilitet. Quod praeceptum, ut opportunitati convenit, ita exorto morbo, maxime vehementiore, parum tutum omittendum; quia nullus ad fructum ejus, niſi per mediam illam ſtimuli magnitudinem, quae, nimiam jam ante incitationem augendo, noceret, aditus eſſe poteſt.

CXCI. Ad minori in opportunitate diatheſi medendum, et mor-

bo occurrendum, adfectuum consuetudo vitanda; ad morbum tollendum, primus quisque impetus prohibendus. Eorundem extremus, eventu debilitans effectus, propter medium nimis incitandi periculum, nullo modo quaerendus (CXLVI.).

CXCII. Hae potestates, eaedem genere, quae diathesin phlogisticam facientes (CLXXVI. ad CXCII.), magnitudine tantum differentes, et hac prorsus oppositae, rarius et minus prospere singulae, saepius et secundiore eventu plures, omnes optime, ubi magna ope opus est, conjunctae, diathesin eandem solvunt.

CXCIII. Ut potentissima omnium sanguinis detractio est, quippe quae tanto validiorem, quanto latius

latius corpori recta admotum, ſtimulum penitus auferat; ita, quoties diatheſis maxime viget, fuſius utenda, et nunquam in opportunitate; parcius aut non omnino in lenioribus morbis periclitanda, aliiſque auxiliis poſthabenda.

CXCIV. Cui proximum momentum frigus, cauto poſt ejus opus calore et aliis ſtimulis, in curatione ſibi vindicat. Semper nocet calor, magis poſt frigus, maxime, etiam cum aliis ſtimulis nimiis conjunctus. Semper prodeſt et pro magnitudine ſua frigus, ſi alienus ſtimulus ejus operi mixtus aut ſuccedens, idque ſuperans, calide evitetur.

CXCV. Tertium ab his (CXCIII. CXCIV.) alvi purgatio dignitatis locum occupat: Quae diatheſin

phlogiſticam potenter ſolvit; eoque ſanguinis profundendi, ſaepius vero creditae, neceſſitati, cum magno commodo, ſuperſedet. Eadem ſola ad ſalutem ſaepe ſatis.

CXCVI. Cum omnibus his una victui, cujus ſtimulus accipiendo ab iis fructui obſtat, pro diatheſeos modo parcendum. Quod opportunitati ſemper, ſaepe morbis, iis, ſcilicet, quos minor, aut vitae lenior, diatheſis continet, ſolvendis ſolum habile eſt.

CXCVII. Cum omnibus etiam, in morbis quies, in opportunitate motus moderantia, conjungenda.

CXCVIII. Peſſimus vulgi medici mos eſt, quod uni alicui illorum auxiliorum nimis inſiſtit, reliqua omnia omittit, aut incurioſius praecipit. Soli ſanguinis, ne in peripneu-

peripneumonia quidem, detractioni credendum, ſed omnia reliqua, ſimul aut ſerie, in orbem adhibenda. Uno verbo,

CXCIX. Ut poteſtates, morborum periculum vel ipſos facientes, alia in aliam partem, paulo gravius incumbunt (XXXVIII.), eaque pars plerumque eſt, quam quaeque recta adficit; ita auxilia quoque, aliud aliò, dirigenda, quo certius communis effectus univerſum corpus attingat, incitabilitatem aequalius ubique moveat (XLIV. LXXXIX. CX.). Oppugnant Hiſpani columnas Herculeas, eo incertiore potiundae arcis ſpe, quo anguſtior ad progrediendum aditus ſit; plus valituri, ſi pluribus ſimul, aut omnibus circumcirca, locis, quatiendi impetu muros, et paſſim ſubruendi,

ſubruendi, multitudini fieret poteſtas.

CC. Actiones perturbatae, vel non debilitante cauſa deminutae (CLIV. CLV.), communem curationem (CLXXV. CLXXVI.) et nullam aliam, requirunt.

CCI. Debilitatis ſignis, diatheſeos vehementiam, progrediente morbo, ſequentibus (CLX.), et mortem indirecta debilitate minitantibus, auxiliis mature adlatis, occurrendum.

CCII. Eadem matura curatio ad ſuppurationem, effuſionem, et gangraenam, quae, ex nimia ad extremum incitatione, in indirectam debilitatem tranſeunte, naſcuntur, prohibendas pertinet (CLXIII. ad CLXIX.).

CCIII. Longa inflammatio, acutam consequens, quoniam adfectus localis est, nam communis ad alium locum pertinet, e fibrarum vasorum resolutione et atonia pendens, has firmantibus et incitantibus, si qua sunt, curanda. Quam opem frigus, actione prius explicata, et hic ita partem, ut alibi totum corpus, adficiente, non adstrictione, quae aut deest, aut causae nequit superesse, praestat. Adstrictionis opinio notione falsa frigoris nititur. Quod calor minor est, eoque in simplicem, ut hic, materiam, ita ut calor, sed minus, agit. Si calor igitur relaxat, relaxet quoque, sed minus, frigus necesse est. Quo quidem modo, agens hoc in casu prodest. Sed aucta incitatio, ejus opus hic,

ut

ut alibi, ſequens, auctae aliorum ſtimulorum potentiae tribuenda.

CCIV. Ne ſic denſans frigoris effectus pereat, nimia poſt, eoque relaxans, caloris vis cavenda, hujuſque tantulum, quantulum magis, quam abſque praeeunte frigore, incitet, adhibendum. Poſt frigus igitur modicus calor convenit, nimius malum, eventu debilitans, auget.

CCV. Adſtringendi conſilio acidi dilutioris, ut aceti validi, periculum faciendum.

CCVI. Ut inflammatio acuta in longam (CLXVIII.), ita tota diatheſis phlogiſtica in aſthenicam, verti poteſt. Cujus caſus pathologia ſimul et curatio ad aſthenicorum morborum ſpeciem relegandа. Sed roborandi totum corpus

pus consilium, partis resolutione et atonia inflammationi obnoxiae, ab hac defendendae causa, ad hunc locum pertinet.

CCVII. Quae de inflammationis longae curatione praecepta sunt, ea ad profluvii sanguinei, acutas, quae saepius repetiverint, haemorrhagias consequi soliti, curationem transferri possunt. Praeterque ea etiam

CCVIII. Curandum, ut corpus sic reponatur, quo parcius sanguis, in partis imbecille vasa fatigata et relaxata, pondere inclinatus defluat.

CCIX. Ad omnis profluvii, quo tempore immineat, ut graviore corporis motu, eoque exercitatione, magisque labore, abstineatur, et, vel

ex

ex toto quies, vel tantummodo geſtatio, colantur, rationem pertinet.

CCX. Si cum ſtimulorum aut acrium, partem aliquam interiorem vulnerantium, rodentium, effectu, pyrexiâ diatheſis phlogiſtica forte conjungatur, conſimile medendi conſilium ſuccurrit. Qua in re, adgredi ſe diatheſin, non localis morbi effectum movere, pro certo medicus habeat.

CCXI. Si haec et omnis diatheſis abſit, et idem caſus ſecunda uſum valetudine (CCX.) prehenderit, quoniam tumultuaria, gravi partis, acute ſentientis, ſtimulo, concitata, pyrexia pro tempore phlogiſticam quodam tenus refert, ita eâdem curandi via quodam tenus quoque ingrediendum. Sed, ſolo partis adfectu, vel ejus

ſymptomate

ſymptomate inflammatione, ſublatis, ſalutem reducendam, teque hac agendi ratione effectum morbi, non cauſam tangere, lenire, non mederi, et caput rei intactum naturae operi relinquere, intelligas.

## CAP. III.

## SPECIES PRIOR,

SEU

## MORBI PHLOGISTICI.

CCXII. Omnibus morbis phlogiſticis, omni ſpeciei priori (XXVII. XXX. CXLVIII. CLI.), perpetuo communis eſt aucta ubique incitatio, in opportunitate auctis animi et corporis actionibus manifeſta, in morbo aliis auctis, aliis perturbatis,

batis, aliis imminutis perſpicua; ita ut hae ab excitantibus illas noxis eſſe, in cauſa conſiſtere (CLI.), facile percipiantur. Quo communi quaſi vinculo ut hujus ſpeciei morbi ſic inter ſe copulantur; ita

CCXIII. Quaedam ſunt, quibus, alii ab aliis, diſtinguantur. His in quatuor proprietates diducuntur. Quarum prima morbos cum exterioris loci inflammatione, vel ad hanc vicino ſtatu; altera eos, quos ſanguinis percitati profluvium comitatur; tertia poſt contagionem incidentes; noviſſima nimiae vaſorum actionis expertes comprehendit. Primi phlegmaſiae, alteri haemorrhagiae, tertii exanthemata phlogiſtica, quarti apyrexiae phlogiſticae, nuncupandi: Omnes eo-

dem, quo enumerati ſunt, ordine pertractandi.

## HISTORIA PHLEGMASIARUM.

CCXIV. Phlegmaſiis cum haemorrhagiis et exanthematis phlogiſticis communia ſunt, poſt diatheſin phlogiſticam, quanta in opportunitate eſſe ſolet, horror, frigoris ſenſus, languor, quaſi laſſitudo, pulſuum frequentia, initio et leni morbo modica, eorundum robur et durities, cutis ſiccitas, excretionum alibi retentio, urinae rubedo, calor magnus, ſaepe ſitis.

CCXV. Ipſis propria, loci exterioris inflammatio, vel huic adfinis adfectus,

adfectus, communi hunc plerumque praecedente, nunquam fequente: Qui, quo commodius a febribus diftinguatur, pyrexia nominandus.

CCXVI. Horum omnium ex fupra tradita doctrina fponte fluit explicatio. Diathefis phlogiftica eo, quo fufius dictum (CXLVIII.), modo, et ab iifdem poteftatibus concitata, (CXXX. ad CXLVII.) praecedit. Pulfuum notae nunquam ad loci (CXLIX.. CL.) adfectum quemvis referendae, femper a fanguinis abundantia, diftendendo ftimulante, (CXLI.) effe demonftratae.

CCXVII. Eorundem hic modica (CCXVI.) frequentia eft, quia, dum aliquam ftimulus excitat, ei finem copia percitanda ftatuit.

Quam ea celeritate, qua penuriam, trajici non poſſe, manifeſtum. Pulſuum robur incitationis in motricibus vaſorum fibris, quae tonus vulgo dicitur, et harum, tanquam ſimplicium, denſitatis, (XLVII. L. p. 122. 123. 124.) magnitudo facit. Durities nihil aliud eſt, quam valida quaeque contractio aliquam moram permanens, multum ſanguinis arcte amplectens, et ſic funem quaſi tenſum referens.

CCXVIII. Hunc (CCXVII.) exactum arteriarum ſtatum eſſe, ciborum copia ante opportunitatis tempore deſiderata, ſumpta, eadem et reliquae hanc facientes poteſtates, (CXXX. ad CXLVII.) ſolito magis ubique incitantes, eoque, inter alios effectus, digerentes vires augentes, et, cum aliis debilitantibus

bus auxiliis, attenuantia morbis occurrentia et medentia, confirmant. Quem cum contrario ſtatu, quod hactenus perpetuo factum, confudiſſe, graviſſimus error, ut rationes pariter et curationes tranſverſas egit, ita in claro monumento poſuiſſe, non frugiferum eſſe non poteſt. Haec in praeſentia ſuffecerint, quae porro ad tanti momenti rem pertinent, poſtea ſuo loco tradendis.

CCXIX. Horror et frigoris ſenſus (CCXIV.) a ſiccitate cutis cauſa pendent. Languor et quaſi laſſitudo majorem cerebri et muſculorum fibrarum, incitationem, quam ut ab incitabilitate, certis finibus contenta (XIX. XLVII.), recte perferatur, indicant. Igitur, ſunt ſtimulante, non debilitante,

cauſa

causa actiones (CLIV. CLV.) imminutae.

CCXX. Cutis siccitatem facit magna fibrarum, extrema vascula cingentium, incitatio et densitas (CXXXII. CLI. CLIV. CLVII.), diametros usque eo, ut caecus vapor perspirabilis his recipi, receptus trajici, nequeat, imminuens. Qui status non spasmus, non frigoris adstrictio (CXXXIV.), sed diathesis phlogistica, est, in cute, quam alibi, paulo major, quia caloris stimulans, maxime post frigus admotum, vis, aliàs potenter phlogisticos morbos noxa excitans, huic, quam interioribus partibus, validius incumbit, et stimulantis operis summam intendit.

CCXXI.

CCXXI. Eadem excretionum aliarum pro tempore retentarum fere caufa, nifi quod caloris opus relatum ab explicatione alienum eft; et inde minor diathefis excernentia intus vafcula adficit. Quae ob hanc caufam, et, quia natura ampliora funt, maturius in his morbis, quam cutis foramina, referantur.

CCXXII. Urina rubet, quia vafcula, illam fecernentia, obtinens communis diathefis fecretioni obftat. Hinc fecernendus humor vafcula diftendere, rumpere, fibrae motrices, contrahendo fe, contrahere, et, quatenus fimplicium funguntur officio, diftentioni refiftere, tendunt. Cui, in valida vivorum actione, omnium firmorum cohaerendi tamen vis aliquantulum cedens,

dens, particulas ſanguinis trajicit. Quod initio non fit, quia deſtentio non ſubito materiae ſimplicis cohaeſionem, nec niſi poſt aliquam moram, ſuperat.

CCXXIII. Impedita perſpiratio caloris magni cauſa eſt, genitum intus per cutem abſcedere prohibens. Quod fuſius tum explicabitur, cum ad idem ſymptoma, in febribus quoque ex parte, atque ob eandem cauſam, incidens, fuerit perventum.

CCXXIV. Sitim facit diatheſis phlogiſtica (CXLVIII.), excernentia faucium vaſcula claudens, et excretioni humoris obſtans. Ad quem effectum calor, quod humoris excernitur, id diſſipando confert.

CCXXV. Inflammatio, et ad hanc vicinus adfectus, five catarrhalis, five alius, diathefeos phlogifticae pars in loco inflammato, quam alio quovis pari, major eft (CLVI. CLXIV. CLXV.). Quod hic quoque noxae excitantes in totum corpus agentes, figna morborum toti communem adfectum demonftrantia, et hunc auxilia toto depellentia, manifeftant.

CCXXVI. Communis adfectus loco contentum plerumque praecedit aut fimul incidit, nunquam fequitur, quia caufa ejus incitatio nimia (XXVII. XXXI. CXXX.), diathefin creans, et toto corpore diffundens, ante ipfum morbum exiftit, et, ut loci adfectûs rudimenta in opportunitate, ita non ipfum, et ne in morbo quidem femper,

ſemper, tantumque in hujus pariter et ſui certa magnitudine, format. Hinc in magna diatheſi loci adfectus magnus, in minore obſcurus, in mediocri et leni propterea nullus, quod ei diatheſeos morboſae magnitudo neceſſaria eſt. Sic in peripneumonia, ubi maxima diatheſis et pyrexia eſt, item in rheumatiſmo, ubi proxima, pro ratione magna inflammatio reperitur. Nec in rubeola, cujus morbi periculum in diatheſeos phlogiſticae vehementia totum poſitum, non par inflammationis periculum ſuboritur; qua pulmones ipſi, ſaepe gravi, tentantur. Synocha nunquam phrenitica eſt, niſi ubi ingens diatheſis, quae cerebro inflammationem, aut hujus periculum inferat, occurrit. Nec in eryſipe-

late

ſtate quicquam ab inflammatione, etiam vultum adgreſſa, niſi ubi pyrexia ſaevit, extimeſcendum. Quae mitis laetum eventum aſſerit. Synocha ſimplex nihil aliud eſt, niſi phlegmaſia, ex pyrexia et diatheſi phlogiſtica, ob exiguitatem inflammationi accendendae impare, conſtans. Cujus tamen cum omnes noxae excitantes, omnia auxilia, prorſus eadem, quae cujuſlibet phlegmaſiae, ſint, ab his eam ſegregare, cum febribus, extremae debilitatis morbis, conjungere, gravis error erat, eoque magis, quod inflammatio, quae phlegmaſiis neceſſaria falſo credebatur, ei non deeſt, quoties huic concitandae ſufficiens diatheſis ſubeſt. Quod tamen ob alterum errorem, neque leviorem, neque minus nocuum,

quo inflammatio phlegmasiarum causa haberetur, cerni non poterat (CXLIX.). Denique, quo minus a natura catarrhi non alienam inflammationem esse, sed propter diatheseos communis solitam mediocritatem plerumque deesse, dubites; quoties, etiam in eo, diathesis ingravescit, quod, neglecta idonea curatione, et noxarum excitantium effectu ultra solitam metam tento, quandoque accidit, inflammatio, et formidanda quidem, subnascitur, saepe fauces, quandoque pulmones, prehendens, et aemulum peripneumoniae adfectum suscitans. Postremo, quod haemorrhagiis omnibus inflammatio deest, causa in promptu est. In ea enim morborum phlogisticorum proprietate diathesis communis,

nis, ab initio lenis, repetente ſanguinis profluvio uſque modica ſervata, quandoque pro tempore ſublata, ad id magnitudinis, quod inflammationi formandae ſufficiat, nunquam adſurgit.

CCXXVII. Fruſta ſpina infra unguem immiſſa, hunc vulnerans, vulneri inflammationem inferens, et adfectum conſimilem ad humerum, pyrexiam per totum corpus, ſpargens, tanquam, quo modo ab inflammatione phlegmaſiae oriantur, illuſtrans et confirmans, memoratur. Nihil enim hanc aut ſimilem loci offenſam, phlegmaſiae ſimile, niſi ſi forte diatheſis phlogiſtica jam ante, et in hoc, ſit, ut in ſuorum mórborum aliquem ſponte erumpat, ſequitur. Qua ſine diatheſi communis adfectus nullus, in

in contraria contrarius, ſcilicet, gangraenae ſymptomaticus typhus, vitae gravis, oritur.

CCXXVIII. Loci adfectum a communi, non hunc ab illo, pendere, inflammatio, nulla phlegmaſia ſequente, ſaepe incidens, inſuper argumento eſt. Quod, ut in caſu proxime relato (CCXXVII.), toties uſu venit, quoties diatheſis communis abeſt, aut locus inflammatus non internus et perquam ſenſibilis eſt. Sic omnia phlegmones, omnia erythematis ſeu eryſipelatis, ſine diatheſi communi, exempla, a phlegmaſiis aliena, inepte cum iis conjunguntur, ineptius pro earum prototypis habentur; quippe quae omnia morbi locales, aut aliorum morborum ſymptoma, ſint. Nec morborum cum inter-

nae

nae ſedis inflammatione quaedam cum phlegmaſiis ſimilitudo hanc ſententiam infirmat; utpote quibus neque ſolitae phlegmaſiarum aut cujuſlibet morbi idiopathici noxae antecedant, neque ſolita auxilia medeantur. Peſſimo igitur et curationi inimiciſſimo errore ii morbi, qui a ſtimulis acribus et compreſſione naſcuntur, et ſublata ſola cauſa (CCXI.), quod raro arte efficitur, medicabiles ſunt, phlegmaſiis adnumerantur.

CCXXIX. Non ſine gravi cauſa adfectui communi, qui in phlegmaſiis et duabus proximis proprietatibus adparet, pyrexiae nomen datum; quippe quo hinc a febribus, quae extremae debilitatis morbi ſunt, illinc a ſimili, ſed prorſus diverſo malo, quod locali-

um morborum ſymptoma eſt, et pyrexia ſymptomatica dici poteſt (CCXXVIII.), cum magno fructu dignoſcantur.

CCXXX. Phlegmaſiae verae, quibus ſupra tradita (CCXIV. CCXV.) definitio convenit, ſunt peripneumonia, ſub qua phrenitis, et, quantum idiopathica eſt, carditis, comprehenduntur, ſynocha cum capitis adfectu, phrenitica dicenda, rheumatiſmus, eryſipelas, cynanche tonſillaris, catarrhus, ſynocha ſimplex.

## HISTORIA PNEUMONIÆ.

CCXXXI. Peripneumoniae propria ſunt, alicubi thoracis dolor, ſaepe ſedem mutans, ſpiritus difficilis, tuſſis, plerumque ſputa rejiciens, aliquando ſanguinem.

CCXXXII.

CCXXXII. Sedes morbi totum corpus, totum genus nervosum (XXXIV. XLI. XLII. XLIII. XLIV.) est, quod diathesis in opportunitate toti corpori communis aucta, et nihil novi, morbum creans (XXVII. LXXV. LXXVI), intra pectus inflammatio pyrexiam, magno temporis intervallo plerumque, sequens, nunquam praecedens, detractioque sanguinis, et alia remedia inflammatum locum, non magis quam quemlibet aeque dissitum, adfectantia declarant. Inflammationis, diatheseos communis partis, propria sedes pulmonum corpus, et tegens summos ex pleura procedens membrana; vel hujus, sive costas intus tegentis, sive thoracis viscera extrinsecus includentis, pars quaelibet, subest, in aliis casibus et eodem aliàs alia.

CCXXXIII.

CCXXXIII. Alicubi thoracis dolor e refpondentium intus locorum (CCXXXII.), modo relatorum, inflammatione pendet. Quod cadaverum incifio firmat; nifi quod eum faepius adhaerens plurae coftali pulmo, raro illa inflammata, facit.

CCXXXIV. Ubi fummos pulmones inflammatio obtinet, non poteft utrivis foli, aut pulmonum corpori, aut membranae, adhaerere. Quo enim modo, fi reputes, eorundem vafculorum, five fuper hanc reptantia, five in illud defcendentia, aut inde emergentia, punctula fola fine proximis inflammari poffe, putabis? Pariter igitur a vero diftat inflammationis in parenchymatofam et membranofam diftinctio, et hujus perpe-

tuae

tuae opinio. Quod non tam usus, nihil enim curationis interest controversia, quam solitae pathologorum vanitatis ostendendae causa, dictum intellige.

CCXXXV. Saepe suam sedem, dolor, in morbi cursu, mutat, quia recta ejus causa inflammatio pariter mutabilis est, sedem primam linquens, vel partim servans, et in aliam vehementius irruens. Quod nota doloris mutatio, cum inflammationis respondentium locorum vestigiis, post mortem deprehensis, collata, firmat.

CCXXXVI. Quae res (CCXXXV.), morbi ab inflammatione facti, servati, ullove modo pendentis, opinionem, altero et gravi argumento, refutat (CXLIX.), hic propositam roborat,

rat, et inflammationem a valida diathesi communi modo in hunc, modo in illum locum, dirigi, crescere, et quodammodo multiplicari, declarat. Eodemque pertinet, quod, inflammationem, cum levata vel sublata diathesi, senescere, simpliciorem fieri, ab omni sede pelli, curatio demonstrat. Eandem rem rheumatismi ratio confirmat, cujus eo saeviores et plures dolores, quo validior communis diathesis, mitiores et pauciores, quo levior sit, adparent. Hos dolores, ex communi diathesi pendentes, idiopathici morbi partem, a localibus, qui saepe soli incidunt, casu huic morbo praecedere possunt, distingue; nisi petulanter verbis in re gravi ludere, turpem ignorantiam prodere,

prodere, aut imperitiores dolo malo fallere, forte mavis.

CCXXXVII. Spiritum difficilem (CCXXXI.) facit nulla pulmonum, ceu ſpirandi inſtrumenti, culpa, nullus incitationis in iis defectus, ſed ſolus aër tractus, ſua vaſa replendo, diſtendendo, ſanguifera inflammata comprimens.

CCXXXVIII. Tuſſis cauſa eſt, violenter, et, ut ante (CCXXI.) dictum, humor exhalabilis, item mucus, ſecretus, excretus, vaſcula aërifera irritans, eorum, et omnium poteſtatum, thoracis cavum amplificantium, incitationem augens, dein ſubito ſuſpendens, et ſic plenam tractionem, plenam emiſſionem, conjuncto partim voluntatis opere, peragens.

CCXXXIX.

CCXXXIX. Eadem minor aut nulla initio eſt, quia, propter diatheſin, adhuc extrema vaſcula valide obtinentem (CCXXXVIII.), iidem humores, vaporis caeci forma, promanantes, minus irritant, et minore molimine cum ſpiritu demittuntur.

CCLX. Eandem ſputa propterea ſequuntur, quod humores cumulati cum effectu ſuo, tuſſiendi conamine, in rapido aëris effluentis impetu, velut torrente amne, pervehuntur. Quibus quandoque mixtus ſanguis ſecretionis vim, ſupra (CCXXI. CCXXXVIII.) explicatam, indicat.

CCLXI. Pulſuum mollities, definitione vulgo recepta, hic ab ea rejecta, eſt, quia non inflammationem, ſed diatheſin communem, illorum notae ſequuntur (CCVI.).

Qua

Qua respecta, pro mollibus tantum minus duri vocandi, curationis ratione habita, molles demum dicendi.

CCXLII. Neque doloris varius, modo acuti et quasi pungentis, modo obtusi, gravis, et pro molestia potius habendi, sensus, quamvis ab inflammatione recta pendens, ceu hujus statum aut sedem indicans, operae pretium ducendus; quia, quanta quanta sit, ubi ubi sedeat, quicquid periculi denunciet, inflammatio, sola ejus solvendae, periculi avertendi ratio est diathesin communem tollere (CCXVI. LXXXV.). Inflammatae igitur membranae in acuto, parenchymatis in obtuso, dolore opinio, ut inutilis, rejicienda, ut exitium ferens cavenda. Saepe enim provecto

morbo remittens ſubito dolor, non pro ratione levato ſpiritu, falſam imperitiori praebet reductae ſalutis ſpeciem. Cujus cauſa, ab inflammationis ſede aut genere prorſus aliena, ea incitationis magnitudo eſt, quae exhauſtam incitabilitatem, ſe finitam, et nimium vigorem in indirectam debilitatem verſum (XIX. LX. CLX.), ſignificat. Hinc vaſorum, maxime laborantium, nulla pro nimia incitatio, pro denſitate laxitas extrema exiſtit. Hinc pro violenter aucta, excretio, ſine vi, ſine molimine, liquore aquoſo ſpiſſiorem per vaſorum inertiam relinquente, immane ſupra modum intenditur, et ſubito ſtrangulat in vaſa aërifera undique fuſus humor.

CCXLIII.

CCXLIII. Carditis raro occurrit, male intelligitur, et plerumque localis adfectus videtur. Quod ubi fit, fruftra medici opera interponitur. Et fi quando idiopathicus eft, definitionem, et omnem, praeter peripneumoniae, curationem refpuit. A qua, cum iifdem noxis antecedentibus oriatur, iifdem auxiliis tollatur, nec ullo certiore figno dignofcatur, ideo non fegreganda.

## HISTORIA SYNOCHÆ PHRENITICÆ.

CCXLIV. Synocha phrenitica phlegmafia (CCXXX.) eft, cum leviore partis alicujus, unius aut plurium artuum, faucium, inflammatorio aut catarrhali, adfectu, capite dolente, rubente cum

oculis vultu, ſoni luciſque impatientia, vigilia, delirio.

CCXLV. Inflammatio extrinſecus propria forma non adparet. Ad quam tamen in articulis, in muſculis, maximeque ſupra ſpinam aut circa pectus, in imis faucibus, vicinus, aut catarrhalis, ſtatus eſt, ex eadem cauſa pendens (CCXXVI.), et hoc tantum, quod minor eſt, differens.

CCXLVI. Capitis dolor, vultuſque et oculorum rubor, ex nimia ſanguinis in cerebri aut membranarum ejus vaſis copia, diſtendente, nimis ſtimulante, incitante, et ad dolorem vaſa contrahente, naſcitur. Ad quem creandum non neceſſaria inflammatio eſt. Sine qua haec nimia actio dolori eſt, quod mediocritatem, in qua jucundus

cundus (I.) ſenſus conſtat, exſuperat. A rubore copia ſanguinis indicatur ſimul et explicatur. Quam diſtendendo dolorem ferre, ſanguinis detractio, et quicquid eam imminuit, impetui moderatur, oſtendit.

CXLVII. Eadem ſoni et lucis impatientiam facit, audiendi et videndi ſenſus acuens: Nam, ut omni ſenſui neceſſarius eſt ſanguinis aliquantus impulſus, an comite calore? inſtrumentum incitans; ita nimiam cauſam nimius effectus ſequitur. Sed haec ſymptomata cum dolore, in alio incitationis ſtatu, ut poſt dicetur, oriuntur.

CCXLVIII. Vigiliam et delirium eadem nimia incitatio, nimio ſanguinis et aliarum poteſtatum ſtimulo creata, peragit. Aliae poteſtates, ſuam operam conferentes,

 cogitandi

cogitandi contentio, quaſi tenor, et aliquis adfectus commovens, eſſe ſolent. His excitus nemo, etiam ſanus, dormit; quo minus, eorundem in morbo gravi magnitudinem ſomnum avertere, mireris. Ut aucta vigilia, ita delirium perturbata actio eſt, eadem cauſa ſubſtante (CLIV.). Ad quae ſymptomata fuſius explicanda quod porro reliqui eſſe videatur, poſthac exponetur.

## HISTORIA RHEUMATISMI.

CCXLIX. Rheumatiſmus phlegmaſia (CCXXX.) eſt, maxime in temperamento ad ſanguineum inclinante, calore frigus excipiente (CXXXII. CXXXIV.), vel ita cum eo alternante, ut potentius ſtimulet; dolore juxta articulos, potiſſimum

potiſſimum majores, exercente, et diatheſeos magnitudini reſpondente, inflammatione pyrexiam ſemper inſequente.

CCL. Temperamentum ſanguineum is ſtatus eſt, in quo ſenſibilitas, corporis et animi vires, data ſtimuli magnitudine facilius, quam in alio, concientur. Quod ex incitabilitate abundante pendet (XXII. XXIII.). Hinc, ubi caeterae conditiones pares ſunt, juniores, quibus minus datae ab origine incitabilitatis ſumma, quam aetate provectioribus, exhauſta ſit, exquiſitius illud temperamentum poſſident. Verum, ut raro purum quodvis temperamentum, ita hoc in rheumatiſmo non, eſt. Quam rem, hunc morbum diatheſeos phlogiſticae, validis ſtimulis concitatae, magni-

magnitudo insignis faciens, confirmat; eoque magis, quod, quoties purius hoc temperamentum, ut in hysteria, ut in phthisi pulmonali, est, toties ad debilitatem, quam robur, inde exortus morbus magis inclinat; et hoc temperamento carentibus saepe sine stimulante vi, alias phlegmasias necessario pariente, nunquam rheumatismus, incidit.

CCLI. Externa temperies eodem modo hic, quo supra (CXXXII. CXXXIV. CCXLIX.) explicata, nocet.

CCLII. Dolor per loca relata (CCXLIX.) saevit, quod illuc inflammatio, seu diatheseos communis auctior pars, potissimum incumbit. Idque hoc accidit, quod noxarum excitantium potentissima fere temperies relata

(CCXX.

(CCXX. CCXXIV. CXXXII. CLXX.) eodem ſolum dirigitur. Ad interiores ſedes inflammatio eo non transfertur, quod in illas, aequabilem fere, ſub omni extrinſecus ejus mutatione, temperiem ſervantes, eadem noxa non agit (CCXXXVI.)

CCLIII. Frigus, hic aſtringendo, ut vulgo creditur, non nocet, quia ſub calore, cujus adſtrictioni contrarium opus eſt, ſaevit maxime morbus (CXXXV.) Quam rem victus ſtimulans ſemper noxae, inedia ſemper auxilio, ſaepe ſaluti, comperta, firmant, et errorem, quo plus juſto detrimenti temperiei, fructûs ſudori, tribuitur, tanquam reliquae noxae nullae, auxilia nulla, eſſent, arguunt. In hac, aeque ac reliquis omnibus

phleg-

phlegmasiis, diathesis phlogistica communis sola morbum, solutio ejus sola salutem, parit (CXLVIII. CLI. CLXXV. CLXXVI.). Quod, semper manifesto intervallo pyrexiam inflammatio sequens, luculento indicio declarat. Dolores partium, qui quandoque huic morbo praecedunt, saepius soli existunt, et in utraque re cum diathesi phlogistica, in qua morbus omnis positus, nihil rei commune habent, locales adfectus esse, vel ad diversum idiopathicum, nemque, rheumatalagiam, de qua post, pertinere, recordandum (CLXVIII.).

CCLIV. Quare majores hic articuli, in podagra minores, adfectentur, postquam ad hujus morbi explicationem fuerit perventum, explicari demum tentabitur.

CCLV.

CCLV. Cum rheumatiſmo, phlogiſtico morbo, rheumatalagia, quae aſthenica eſt, non, ut hactenus vulgo factum, confundenda.

## ERYSIPELATIS HISTORIA.

CCLVI. Eryſipelas phlegmaſia eſt, a pyrexia ſemper incipiens, inflammatione ſequente: Quae alicubi corporis extrinſecus, ſaepius in vultu, aliquando in faucibus, ſita, rubet, orae inaequalis, aliquantulum tumens, ſerpens, quaſi urens.

CCLVII. Proprium huic inflammationi eſt, alienum a reliquis idiopathicis, quod nomen omnibus a diatheſi phlogiſtica pendentibus, quo commodius ab aliis dignoſcantur, dandum, ut corpus mucoſum occupet. Quare id fiat, non

refert;

refert; ſiquidem haec ab aliis phlegmaſiis neque noxarum excitantium, neque auxiliorum, opere diſtat.

CCLVIII. Rubentis inflammationis eadem, quae ſupra (CCXXV. CCXXVI.) expoſita, explanatio, nam magis aut minus rubentis quaeſtio, ut nihil morbi naturam tangens, nihil intereſt. Minus tumet locus inflammatus, quia cuticulae cutique liberum, quo effuſus humor (CCLV.) diffundatur, ſpatium interponitur. Eadem ſerpentis et inflammationis orae inaequalitatis cauſa eſt. Quare urendi ſenſum acrimonia ſtagnando parta facit?

CCLIX. Vultum occupans, quam alium quemvis locum, inflammatio nihilo periculoſior eſt, niſi

nisi in magna, unde pendet, diathesi communi, ipsam pro ratione magnam efficiente (LXXXIII.). Qua in re, quicunque locus inflammetur, pro gravi morbus, inflammato vultu gravior, inflammatione vasa interiora corripere periclitante, judicandus.

CCLX. Pyrexia, inflammationem semper praecedens, supra et saepius dicta roborat.

## CYNANCHES TONSILLARIS HISTORIA.

CCLXI. Cynanche tonsillaris phlegmasia est, occupante fauces, maxime tonsillas, inflammatione nunquam pyrexiam praecedente; tumida, rubra; exasperato inter devorandum, praecipue humores, dolore.

CCLXII. Quod inflammatio locum hic relatum occupat, caufa fupra (CLXIV.) relata eft. Quae, cum femel incidit, eo dein faepius redire periclitatur, quod fedes ejus noxae potentiffimae prominens, ac minus tecta, objicitur, et diftenta inflammatione vafa, dein laxata, in omni fanguinis impetu facilius abundantiam recipiunt.

CCLXIII. Ut, aliarum phlegmafiarum more, nunquam praecedit pyrexiam ob caufam (CCXXVI.) relatam inflammatio, ita, fi imperitiori praecedere videatur, ejus rei caufa eft idiopathica inflammatio, faepe repetendo, et aliquam femper in loco laborante labem relinquendo, paulatim in localem (CLXVIII.) degenerans. Quae, fine diathefi phlogiftica, non fequente

quente cynanche, incidere, cum illa casu conjuncta, huic praecedere, potest, sed in utraque re ab idiopathica distinguenda (LXXX.) est, quisquis ab errore malo in curatione cavere velit. Eadem in asthenico habitu, sive priorem excipiente, sive non, rursus idiopathica, ad alterius speciei morbum, post memorandum, referenda est.

CCLXIV. Si, quare maxime inter humores hauriendos exaspe retur dolor, explanare queas, imperti, si nequeas, nihil refert.

CCLXV. Cynanche oesophagea hic omissa est, quia rarus morbus, easdem rationes et curationem, ac tonsillaris, quoties idiopathica est, recipit, nec, nisi altiore inflammatione et rubedine tantum aliqua adparente, differt. Sed, quia

localem poſſe eſſe, ut ubi ſtimulo aut acri aliquo oeſophagus forte roſus aut uſtus ſit, ſuſpicio non deeſt; igitur diſcrimina (LXXX.) reſpice, et curationis cauſa LXXVII. diſtingue.

CCLXVI. Rarus quoque morbus eſt, in quibuſdam regionibus aliquando, in aliis nunquam, incidens, cui cynanches ſtridulae nomen: In quo ſpiritus laborat, tractus ſtrepit, raucedo, tuſſis clangens, et tumor vix cernendus, ſunt. Idem puerilem tenerrimam aetatem fere ſolam infeſtat. Caetera ambiguntur. De quo, tibi in curandi uſu forte occurrente, nobis non viſo, ſic judica. Ut diatheſis phlogiſtica, quanta ad morbi magnitudinem requiritur, quia in magna incitatione poſita eſt, ideo minus

minus aut ineunte aut extrema aetate incidit; in illa incitabilitatis magnitudine, in hac exiguitate, minus magnum incitantium potestatum effectum, incitationis vim, recipientibus, a neutra tamen ex toto aliena est; in pueritia stimuli tenuitatem incitabilitatis magnitudine, in senectute illius magnitudine hujus defectum, pensantibus, et minus quidem diuturnam, sed aliquam tamen diathesin phlogisticam, etiam ad morbi modum, sufficientibus. Hac ratione, infantes miram incitationis vicissitudinem, brevissimis temporum spatiis, experiuntur. Hodie omnia extremae debilitatis, cras nulla non vigoris, ostendunt; stimuli opere cito ad summum propter incitabilitatis magnitudinem sublato, cito

ad imum ob ſuam exiguitatem revoluto. Hinc quodcunque iis diatheſeos phlogiſticae uſu venit, id breve, acutum, et facile ſolutu; nec longa aſthenica aut ſublatu difficilis eſt, ſi localis adfectus deſit, et idonea curatio tractetur.

CCLXVII. Illius hac aetate notae ſunt pulſus, ſi ad adultorum phlogiſticos conferantur, creberrimi, ipſorum ſanis crebriores, digitum explorantem clare tangentes, alvus initio duriuſcula, procedente morbo (CLX.) liquidior; cutis ſiccitas, ardor, ſitis, vigilia, vagitus validus. Hujus contra ſigna ſunt pulſus innumerabiles, graciles, incerto tactu et nivis inſtar, in digitum molliter cadentes, alvus praeceps, fuſa, materia virideſcente, vomitus frequens, cutis ſiccitas, naturali,

turali, et in aliis quam aliis locis, major calor, ſomnus interpellatus, nunquam recreans, vagitus debilis, flebilis.

CCLXVIII. Illi, praeter noxas ſolitas, lac purum, aut ex carnea materia paratus cibus, nimius opii aut liquoris meri diluti uſus, poſt frigus humidum, eoque debilitantius (CXXXVI.), calor nimius, ſimplicia firma valida, antecedunt. Huic, cum noxis notis, imbecillae, morboſae, nutricis lac, e plantarum genere paratus, et ſaccharo mixtus cibus, aquoſus, aquoſa potui data, ſupra et infra, aut per magneſiam, abſorbendo acido datam, purgandi conſuetudo, frigus non ſequente calore, ſimplicia firma debilia, praeeunt.

CCLXIX.

CCLXIX. Utra horum ſignorum praecedant aut comitentur cynanchen trachealem, et pyrexia ejus phlogiſtica, an antiphlogiſtica, ſit, reſpice. Quas de ea ſententias, alius aliam, tradiderunt, perpende. Rationes habe ſuſpectas, res ſuſpectiores. Juniorum gloriam, vanitatem, temeritatem, ſeniorum confirmatam aetate et uſu pervicaciam, nulla ratione, nullo veri pondere, vix nummis vi, flectendam, vinctum praejudiciis animum, cave, totum medicorum ſeculum praeter unum erraviſſe, in errore obſtinatis animis perſeveraſſe, in Alexipharmacorum exemplo recordare; et, an praeſentes, qui receptas ſcholis diſciplinas ſequuntur, rectius videant, et non contrario extremo deſipiant, atque tantundem

tundem in febribus puraeque debilitatis morbis, quantum illi in phlogisticis, noceant, per genus humanum late pestem spargant, reputa. Hujus morbi, quae prodierunt, curationes, sic ab errore tutus, considera. Si, his aut facto tibi periculo, vel sanguinis detractionem et alvi purgationem, vel, quae antispasmodica vulgo dicuntur, id est, stimulantia, respondere compereris, in illo casu phlogisticum, in hoc asthenicum morbum esse, pro certo scias; eoque certius, si noxas excitantes, notasve relatas, simul convenire videas.

## HISTORIA SYNOCHAE.

CCLXX. Synocha simplex idem morbus, qui phrenitica (CCXLVI. CCXLVII.), demptis capitis adfectibus, est.

HISTORIA

## HISTORIA CATARRHI.

CCLXXI. Catarrhus phlegmasia est (CCXXX.), in qua ad communia relata, accedunt tussis, raucedo, et prius suppressa, minusve, dein magis, aucta, narium, faucium, et bronchiorum excretio; a noxis stimulantibus, saepe solo calore, (CXXXIII. CXXXIV. CXXXV.) maxime post frigus, oriunda, per debilitantia, saepe solo frigore, cauto calore, solvenda (CLXXX.).

CCLXXII. Tussis eadem, quae supra (CCXXXIX.) tradita, fere explanatio est. Quae liberior est et non vitatur, quia vicinam nullam inflammationem exasperat concitatque dolorem.

CCLXXIII. Raucedinem ab exhalandi in bronchia vaporis suppressione

preſſione eſſe, hinc ſcire liceat, quod ſaepe propemodum ſine ſputis et tuſſi, aut his mediocribus, vigente diatheſi phlogiſtica, et non in bronchiis remittente, diu morata; hac cedente, illis liberioribus, remmittit aut decedit. Quod a ſtimulo, quali quantoque phlogiſtica diatheſis eſt, effici poſſe, loquendi contentio, pro tempore raucedinem faciens, ſilentium tollens, frigida potui data leniens, arguit.

CCLXXIV. Suppreſſa excretio, relata muci humoriſque exhalabilis (CCXXXVIII.) eſt, eandemque, ac ſupra (CCXXXIX.) traditam, explanationem recipit.

CCLXXV. Stimulantia catarrhum facere hinc conſtat, quod calor ſolus, cibus plenior, potio merax, et modica exercitatio, pro

certo

certo eum excitant, frigus, frigida potui data, parcior cibus, et quies, pro certo et efficaciter ſolvunt. Quem igitur, a ſolo frigore eſſe, calore ſolvendum, graviſſimus error eſt. Contra frigus nunquam nocet, niſi ubi ejus actionem caloris excipit, ut ante (CXXXIV.), explicanda. Catarrhus aeſtate toties incidens, ubi ſexcenties cauſa ejus a frigore ſupra repeti nequit, a calore poteſt, contagioſus nunquam, communis ſaepe, frigoris egens, non omnino frigori, calori protinus ſuccedens, res mulieribus vetulis, calceorum et alîus veſtis ſutoribus, item lippis et tonſoribus, notae, ſcribentibus et docentibus medicis ignotae, obſervationem eandem firmant.

CCLXXVI.

CCLXXVI. Quantum complures morbi, qui pro phlegmasiis habiti sunt et habentur, diathesin phlogisticam, casu conjunctam, habeant, de hac, ex jam tradita doctrina, judicandum; quantum eâdem careant, omni ex parte locales morbi ducendi, et ad alium hujus operis locum relegandi.

## HÆMORRHAGIARUM HISTORIA.

CCLXXVII. Praeter signa haemorrhagiis cum phlegmasiis communia, illis propria sunt, temperamentum, aliquantulum in sanguineum, quod dicitur, inclinans, vel huic consimilis habitus, firmo-

rum ſimplicium minus, aut cohaerendi minor, vis, ſanguinis abundantia, ſpecie vel opinione major, re minor, et morbi curſu decreſcens, ſanguinis profluvium, incertis plerumque intervallis repetens, et minorem, etiam initio, diatheſin phlogiſticam, morbi curſu dein etiam decreſcentem, ſequens, pro tempore leniens, ſolvens, aut in contrariam, ſaepe permanſuram, tandem vertens.

CCLXXVIII. Communium ſymptomatum explicatione ad ſupra traditam (CCXVI. ad CCXXX.) rejecta; propriorum relatorum (CCLXXVII.), hanc doctrinae communis partem illuſtrandi et confirmandi ergo, ſola hic tentanda.

CCLXXIX. Temperamenta (CCLXXVII.) paulo notiora duo ſunt, neutrum ad pervulgata in medicinae monumentis redigenda. Quorum alteri phlogiſtici, alteri aſthenici, vocabula danda.

CCLXXX. Phlogiſticum temperamentum id eſt, ubi incitabilitas ita nullo tempore abundat, ut magnam ſtimulantis operis vim reſpuat (XIV.), unde validum robur ſuppetit. Cholerico-ſanguineum ſaepe nuncupatur.

CCLXXXI. Aſthenicum rurſus id, in quo ſemper ita incitabilitas abundat, ut nunquam ſtimuli multum, paulo diutius, eoque modicam incitationem, recipiat; unde debilitas ſubeſt (XIV.): Nominatur vulgo ſanguineum.

CCLXXXII. Ut haec (CCLXXIX. CCLXXX. CCLXXXI.) ab incitabilitatis magnitudine variante (XV. XVI. XIX. XXI.) pendent, ita firmorum fimplicium virium magnitudinem ex parte caufam fpectant. Quae in phlogiftico validiora magnam incitationis vim, in afthenico imbecilliora minorem, recipiunt. Neutrum temperamentum poteftates incitantes (VII. VIII.), per totam vitam perftans, et folum habitum, adficiunt. Quibus datis, alii validiores, alii imbecilliores, varie quidem, et habitu faepe mutato, fed ita tamen, ut, inter fe a natali ad fupremum diem, diftinguendi fint.

CCLXXXIII. Alia temperamenta, his (CCLXXX. CCLXXXI.) obfcuriora, memorantur: Quorum ratio

ratio huc non attinens, alibi, quantum expoſita opus fore videatur, exponetur.

CCLXXXIV. Habitus quoque, in phlogiſticum et aſthenicum diſtinguendus, datâ incitabilitatis et ſimplicium firmorum virium magnitudine, quae temperamentum cauſa continet (CCLXXIX.), incitationis nimiae aut deficientis effectus eſt, a ſtimulantium aut debilitantium poteſtatum opere pendens. Qui, ab hoc longiore aut vehementiore pendens, idem, quod alias diatheſis (XXX. XXXI.) nuncupandus, ad utramque morborum communium ſpeciem opportunitas (LXIX. et ſequent.), aut ipſe ſtatus morboſus, eſt.

CCLXXXV. Si quis inaſſuetus paucis vini poculis, aſſuetus toti-

dem utribus, ebrius fit, id habitûs eſt. Verum, e duobus hominibus, qui in pari conſuetudine et paribus aliis rebus verſantur, alter minus, plus alter, per totam vitam, ejuſdem vini ſi ferant, id ad temperamentum referendum. Quae res nihil aliud, quam finitam incitabilitatem (XVIII. ad XXVII.) finitas firmorum ſimplicium vires (CCLXXXI.),et nullam corpori inſitam motus proprios, ſine communium poteſtatum opere, aut contra hoc, ciendi facultatem (XII.) ſignificat.

CCLXXXVI. Ut ex modò dictis (CCLXXX. ad CCLXXXIV.) non tantum rerum miraculum temperamentum, quantum opinio vetus, huc uſque retenta, et malo errore mentes perſidens, finxit, nec

nec toto coelo, aliud alii, discrepans, raro purum, longe saepius, ut quodlibet e diversis rebus constans, varie permixtum, esse, sed conditionibus relatis(CCLXXXadCCLXXXIV), quae, eaedem genere, magnitudine tantum variare possunt, dignoscendum, satque, simplex, discitur; ita, quantum aut id aut habitus haemorrhagias adficiunt, praeter easdem conditiones nihil anquirendum. Quae solae ad reliquas signorum aut status corporei proprietates, toto huic doctrinae orbi convenienter explicandas sufficiunt.

CCLXXXVII. Diathesis phlogistica, etiam ab initio, in his, quam aliis morbis phlogisticis, propterea minor est, quod, paulo hic abundantior, incitabilitas paulo minore stimulo summam suam incitationem

nem (XIV.) adquirit. Quatenus enim temperamentum in asthenicum inclinat, eatenus incitationis ita summa finitur, ut certam magnitudinem nequeat superare. Non enim incitabilitatis, sed stimulantis operis, magnitudo perquam validam incitationem efficit. Quod habitus statu illustrari potest. Sic in aetate puerili, qua maxima incitabilitas (XXII.) est, nunquam robur maximum, quia incitatio, ex incitabilitate et stimulante opere composita, propter illius magnitudinem, hujus non tantum recipit, quantum magnae incitationi creandae par sit. Rursus in adultis maxima incitatio et robur; quia minor incitabilitas majorem stimulum, et idoneum robori dando, recipit. Quin et in senec-

tute

tute plus, quam ineunte aetate, roboris; quia, perſtantis, quamdiu vita ſupereſt, utut tenuiter, incitabilitatis defectus ſtimuli, quam recipit, magnitudine, quodammodo penſatur (XIX. ad XXV.). Non igitur in morbis haemorrhagicis incitatio tanta, quanta in aliis, eſt; quia prius ad ſummam, ob incitabilitatis abundantiam, pervenit, quam ſtimulantis operis tantum accipiat, quantum in aliis, ubi minus incitabilitatis ſubeſt, accipitur. Hac ratione temperamentum, in aſthenicum (CCLXXI.) inclinans, quanquam maxima ſui parte phlogiſticum, diatheſin phlogiſticam moderatiorem praeſtat.

CCLXXXVIII. Rurſus minor hic diatheſis hoc porro eſt, quod incitationis effectui, corporis et animi

nimi actionibus, ſuſtentandis, certa firmorum ſimplicium, ſeu inſtrumenti, vis neceſſaria, deficit. Quae res, ut univerſis firmis communis, ita in vaſis clariſſime cernitur. Quorum firma ſimplicia, paulo imbecilliora, ad magnam diſtentionem, ingentes contractiones, in queis magna vaſorum diatheſis phlogiſtica conſtat, ſuſtentandas minus evalent. Nec aliter id ſe habere poteſt. Nam, tametſi ſtimulantis operis ſumma ſimul et incitabilitas dentur, et utraque ſatis magna, atque etiam tanta, eſſe, quanta poſſit, intelligatur, tamen, ad incitationem alia conditione opus eſt, et, ut inſtrumenti quoque aliquantum ſit, atque certo robore valeat, neceſſe eſt (XXVII.). Sic nullus ſtimulus muſcam, murem,

aut

aut infantem ad herois aut leonis robur concitabit. Hoc officio fungentia, firma ſimplicia ſunt, materia medullaris nervoſa, et firmum muſculare (XXXIV.), nulla ſuborientis in iis incitationis habita ratione, et tela cellularis, incitationis ſemper expers.

CCLXXXIX. Ex hac materia, cujus longe maxima pars tela cellularis eſt, compoſita vaſorum moles, diſtentioni contractiones concitanti, partim per vim cohaerendi, univerſae materiae communem, partim per contractionum, materiae muſculari propriarum, effectum, diſtentionis effectui oppoſitum (L.), tamdiu, ſicut in omnibus aliis caſibus, reſiſtit, dum diſtentio eo magnitudinis increſcat, cujus effectum conjuncta firmorum

rum omnium ſimplicium vis reſiſtens amplius non perferat. Quo facto, longius in vaſis ire diatheſis phlogiſtica nequit. Cui alibi quoque corporis, ſimili, ſed patente minus, ratione, finis ſtatui videtur.

CCXC. Nonne, quoties ſtimuli magnitudine incitationi finis hoc imponitur, quod exhauſta incitabilitas ſit (XIX.), id ad ſimplicium toto corpore et omnis generis firmorum, incitationis vim minus perferre valentium, ſtatum referendum? Ut diatheſi phlogiſticae in vaſis is firmorum (CCLXXIX.) ſtatus, et alibi conſimilis, moderatur, eodemque, quo temperamentum aut habitus, pertinet, et utriuſque rei inter ſe multum adfinis, ſi non neceſſario conjunctus, vel etiam

etiam idem prorſus, effectus eſt; ita haec concluſio non levatur, tanquam, a communi alias ſecundae adverſaeve valetudinis, et noto ſtatu differentem et novum, proponens. Nihil hic, quod non, ſub iiſdem rebus in omni ſtatu, accidit. In phlegmaſiis ipſis, in harum ſaeviſſimis, quanquam non tam cito, aliquando tamen, finitur incitatio, exhauritur incitabilitas. Cujus effectus eadem quoque cauſa eſt, in vaſis nimia diſtentio, cohaerentem firmorum ſimplicium vim tandem ſuperans, et, alibi corporis, nimiae incitationis effectus, aliorum firmorum ſimplicium robori, ſimili modo, nimius. Nihil inter hos caſus niſi magnitudinis differentia eſt. In phlegmaſiis vehementioribus incitatio altius ire permiſſa

majorem diathesin, in haemorrhagiis repressa minorem, creat. Effectu quoque conveniunt: Nam,

CCXCI. Ut sanguinis in haemorrhagiis profluvium, non ex plethora, quod mox demonstrabitur, sed distentione magis, quam in phlegmasiis, modica, cohaerendi firmorum simplicium vim superante, et sic alicubi, ubi haec causa, summam nacta magnitudinem, maxime valet, quaedam vascula perrumpente, pendet; ita idem effectus, ei proximus aut manifestum ejus periculum, saepe in phlegmasiis oritur. Cujusmodi sanguinis super pulmones effusio, vehementem aut neglectam peripneumoniam morte mutans, sanguinea in eâdem sputa, urinae in omnibus phlegmasiis et oculorum

rum rubor, haud dubie ſunt. Eundem igitur in utriſque morbis eventum incitatio, maxima validam firmorum ſimplicium, minor minus validam, cohaerendi vim ſuperans, trahit.

CCXCII. Minor diatheſis in haemorrhagiis ab omnibus agnoſcitur. Quo firmato, incitationem quoque et, pro rata parte, minorem, et talem firmorum ſimplicium ſtatum, qualis relatus, eſſe, fatendum. Separatim autem firmorum imbecillitas, ſive e debili particularum inter ſe cohaeſione, ſeu, hac data, ex eorundem mole minore, ſive denique ex utraque, pendens, obſervationi ſimplici patet. Cui enim, qui obſervandi compos modo ſit, ex corporum haemorrhagicorum evidente tenuitate, pro-

fluvio pervicace, diathesi phlogistica non pro hujus ratione vigente, firma simplicia labare, et ex ea labe propriam illam morbi faciem pendere, obscurum esse potest? Ut haec firmorum vitium relatum evincunt, ita mitiores noxae excitantes haemorrhagiis, quam phlegmasiis gravioribus praeeuntes, et opportunitatem in morbum vertentes, facilis illarum per leviora debilitantia, difficilis qualibet curatione ex toto solutio, quae res non tam stimulum, quam aliquid intus in corpore, obstare indicat, item semper pronum ad reditum, procedente quoque morbo, et decedente diathesi phlogistica, profluvium, et tandem in asthenica justa, in qua firmorum imbecillitas dubitari amplius nequit, longe saepissime

ſaepiſſime repetens, diatheſeos mediocritatem confirmant; confirmant pulſus, qui minus validi, minus duri, magiſque crebri, quam in majoris diatheſeos morbis, reperiuntur (CCXVI.); confirmat prudens, nuper deprehenſa, curatio, debilitantia minus ab initio, quam in magis phlogiſticis morbis, tantoque minus uſque, tractans, quanto longius morbus procedat, diatheſis phlogiſtica recedat, et aſthenica propius adſit, non ſtimulantibus demum, non corpus implentibus, abſtinens. Si minor igitur diatheſis hic phlogiſtica eſt;

CCXCIII. Ut ſanguis quoque, quam in eadem majore, minus abundet neceſſe eſt. Quam rem ſola diatheſis hic mediocritas evincit.

cit. Nam, si phlogisticae diatheseos ea, jamdudum comperta, natura est, ut incitationis, quae omnes actiones causa continet, nimiae semper effectus sit, eoque nimias ubique corporis, saltem nunquam debilitate deficientes, actiones ipsas (CLIII. CLIV.), praestet, atque hic ipse effectus, seu corporis status, magnitudini causae perpetuo et exacta ratione respondeat (XIV.); inde, quoties minor diathesis est, toties, exacta ratione, minus validae actiones, ac proinde ventriculi et digestrices, consequantur necesse est. Quocirca, cum, propter minorem diathesin phlogisticam, cibi in haemorrhagiis minus adpetatur, et minus in sanguinem vertatur, ita in iis hic, quam phlegmasiis, et aliis majoris diatheseos

diatheſeos phlogiſticae morbis, non minus quoque abundare non poteſt. Quo enim modo plus ibi ſanguinis, ubi, ſimul, unde conficitur, materia parcior et poteſtates conficientes minus valentes, ſunt, exiſtere poteſt? An, praeter alias ineptias, corpori humano ex nihilo creandae materiae facultatem tribueris, aut plus effectus ex imbecilliore, quam validiore, cauſa, ratione tua, deduxeris.

CCXCIV. Quod ſi, veri vi victus, ſimulatae plethorae cauſam non hanc, ſed majorem, quam in validiore diatheſi phlogiſtica, perſpirationis retentionem, eſſe ſubjicias, et ſic ab ingeſtione, ſicut ais, egeſtionem ſuperari, contendas; quo modo id fieri poſſit, interrogatus explana. Nullum ſpaſmum

(CIX.

(CIX. ad CXXVI.), nullam frigoris adſtrictionem (CII. ad CV.) eſſe, ſupra monitus meminiſti, et nimium meminiſſe neceſſe eſt. Nec in omnibus phlogiſticis morbis, quod pro ſpaſmo vanus habuiſti, id diatheſin phlogiſticam, vaſcula perſpiratoria praeſentius obtinentem (CXIV.), eſſe, non reminiſci potes. Si igitur ſola diatheſis phlogiſtica humoris perſpirabilis retentionem ullam peragit; ut haec in minore, quam majore, diatheſi minor ſit neceſſe eſt (CCXCIII.): Eoque concluſio tua rurſus ipſo argumento, ad eam tuendam adlato, conciditur. Quibus (CCXCIII. ad CCXCV.) argumentis adeo nullam in haemorrhagiis plethoram eſſe, id eſt, non magis, quam in majore diatheſi,

thesi, sanguinem abundare, constat, ut is, e contrario, minus abundare, idque, pro diatheseos minore quasi gradu, non sit inficiandus.

CCXCV. Utrum peripneumonia laborans, an menorrhagia, tempore opportunitatis, plus cibi sumpserit, hunc in sanguinem vertentes vires plus valuerint, in utro morbo pleniores, validiores arteriarum pulsus sint, largioremque, qua in ordinem cogantur, sanguinis detractionem requirant, ut reliquae utrumvis morbum concitantes noxae, reliqua praesentis utriusvis signa, reliqua remedia, huic et illi medentia, taceantur, perpende. Et, an propositam hic sententiam (CCXCIV.) temporis punctum dubitare, incertus haerere, possis, edoce.

CCXCVI.

CCXCVI. Haemorrhagiarum igitur, etiam ab initio, minus intus, quam in vehementiore diathefi, fanguinis, tantoque minus, quanto minor illis diathefis fit, exacta ratione, fubeffe, cum non inficias eundum fit; ita tanto minus ufque, quanto longius quifque morbus proceflerit, plufque fanguinis, five fponte, five medendi confilio, perierit, eodem principio, pari veri luce, fequitur. Sic enim diathefi, fanguinis faepe repetente jactura, aliquid ufque detrahitur, donec eo pervenitur, quod opinione vulgari citius accidit, ut prius non amplius phlogiftica, dein afthenica, fiat. Quod pulfus ufque debiliores, ufque tenuiores, et frequentiores (p. 122. ad 126.), minus ufque cibi defiderium, dein faftidium, omnia

omnia denique crescentis toto corpore debilitatis signa, nec inter ea non in cute, pro siccitate, sub levissimo quoque stimulo mador, fugisse procul diathesin phlogisticam clare nuncians, postremo curatio antiphlogistica, quae ante parcior, quam in majore diathesi, respondebat, liberior nocebat, nunc parcissima debilitando certo nocens, declarant. Plethorae igitur sine fine, etiam in extrema, quam sanguinis jactura parit, debilitate, omnibus fere, qui fuere suntve, medicis recepta, opinio, vel tenuissima veri umbra destituitur.

CCXCVII. Sed, quoniam tantus medicorum, quantumvis inter se, alîus aliud, opinantium, in una plethora consensus, ut ea magni momenti videatur, efficit, nec operae

perae pretium non eſt, funeſtum errorem tolli; ob utramque cauſam, ſed hanc graviſſimam, quibus defenditur argumenta, non omnia, ſed aliquam veri ſpeciem praeferentia, paucis anquirantur. Haec ſunt profluvii ſaepe cum creſcente magnitudine diuturnitas, rationis menſtruorum ſimilitudo, et ſanguinis mittendi, plus intus parere credita, conſuetudo.

CCXCVIII. Ab hac plethoram non naſci propoſita (CCXCIII. ad CCXCVIII)argumenta confirmant. Et verus effectus eſt,ut omni miſſione ſemper minus ſanguinis relinquatur, poſt omnem ſemper cibi, unde novus ſanguis ſolum conficitur, minus adpetatur, ſumatur, et hunc in ſanguinem mutantes, poteſtates uſque magis debilitentur, donec

eo

eo tandem deveniunt, ut neque purum ſanguinem, neque ſatis ejus pariant. Quod nuper dicta (CCXCII. CCXCIII.) ſat clare confirmant. Verum, niſi id quod detrahitur, copia aut frequentia immodicum eſt, ſi certis finibus modo detractio ſit contenta; poſt certa temporis ſpatia plus, quam ante, intus renaſci dicitur, tanquam minus digerentibus, quam perſpiratoriis, poteſtatibus noceretur, et ſic egeſtionem ingeſtio ſuperaret. Quorſum hoc evadat, vide. Si magna copia ſubito, quod ſaepe caſus, ſaepius mala curatio, fert, profunditur, nunquam reſarcitur detrimentum. Quem ipſum effectum minores, ſaepius repetitae, detractiones trahere conceduntur. Non

igitur talis detractio, ſed modice magis iterata, plethoram gignere, ut in jactato vituli pingueſcentis exemplo, judicatur. Quod argumentum claudentes utrinque fines reſpice. Nulla detractio, pariter et nimia, ſanguinis intus copiam minuit, media quaedam adauget. An hoc prima fronte credibile? Si vel uno in caſu ſanguinis jactura debilitando parem intus copiam renaſci prohibet (CCXCIII.), in quo contrarius ejus effectus putandus? An unquam, ſive maxima, ſive minima, ſive media quaevis his extremis, roborat? An eadem phlogiſticorum morborum potentiſſimum auxilium (CLXXXVII.) jam monſtrata, an aſthenicos excitans potentiſſime

tentiſſime noxa, inde colligenda, et poſt fuſius confirmanda, id te dixiſſe ſinit? An pallor, an animae defectio, an pulſuum et aliorum actionum debilitas, omnem ſanguinis amiſſionem perpetuo, quin et exacta perditae copiae ratione, plus minuſve conſequentia, tali dicto cohaerent? Nonne hoc vulgo, nonne hoc ſenſui communi, nonne omnibus notum et familiare? Et ſi debilitet pro ſua magnitudine ſanguinis omnis detractio, quo modo non ineptius novo creando corpus (CCXCIII. CCXCVI.) reddat. Si id in paulo majore manifeſtum, nonne minimae ſimilem effectum fore, ratio fidem facit? Ubi naturae rerum, huic contrariam rationem, ubi tales abrup-

tos ſaltus, oſtendes? Si tria tribus adjecta quatuor, trecenta trecentis ſexcenta, complent; an centum ad centum addita non ducentorum, ſed alium quemvis numerum, puta, mille, conflabunt? Nonne haec talis in arithmetica ratio, qualis illa in medicina, foret? Non igitur frequens ſanguinis, ſive curationis cauſa, ſive profluvii ſponte, jactura, ad augendam, ſed imminuendam copiam intus, adeoque ſub omnibus rebus et temporibus, pertinet.

CCXCIX. Quod ad vitulum attinet, ut ſecunda valetudo, ſic non ſummum robur, pinguedini neceſſarium, eſt. Cujus rei ratio poſtmodo ſuo loco reddetur. Pinguedine robur imminui, aliunde ſimul

et

et communi ſenſu, diſcitur. Quod ſi eſt, ut pinguibus, quam bene valentibus aliis, minus ſanguinis ſit neceſſe eſt; utpote cujus copia, cui valida vaſorum actio pro rata parte reſpondet (CLXX.), poteſtatum incitantium inter valediſſimas ſit, et latiſſime corpore pateat (CXLI. CLXXXVII.). Quin et eidem copioſus ſanguis hoc minime convenit, quod vehemens ſub eo cordis et vaſorum actio perſpiratoriorum languorem, pinguedini neceſſarium, reſpuit. Sine maximo vaſorum omnium aeſtu nunquam ſanguis abundat; abundans nunquam deficientem perſpirationem patitur. Eoque, ſi pingueſcentis omnis animalis perſpiratio, quod incertum nemini, languet; ut minus ſanguinis ſubſit neceſſe

 eſt,

eſt. Quod adeo pinguedini neceſſarium eſt, ut, cum aliis ſtimulis reliquas actiones, eoque perſpirationem, excitantibus, ſanguinis quoque copiae, jure modus ponatur. Hoc nomine in paſcendis animantibus ſanguis modice ſubinde detrahitur, hoc exercitatio et labor cavetur; quo certius humoris, ſcilicet, corporis foraminibus alias diffluxurae, parti, in adipis cellulas divertendi fiat facultas. Quin et inter homines, ut validiſſimis quiſque ſtimulis agitatur, ita is aliorum minime pingueſcit. Sic qui liberius bibunt, qui contentius cogitant, aut vehementius animo commoventur, ii pariter exercitatis ab obeſitate abhorrent. Quibus rebus, languenti perſpiratione pinguedinem naſci, ſtimulis omnibus

bus parcius in ſanum corpus agentibus, haud dubitum cum ſit; ideo, inter alios, ſanguinis quoque ſtimulus, nempe, copia diſtendendo, agens, parcior eſſe judicandus. Quam ſententiam hactenus omnia dicta confirmant. Parciſſima igitur ſanguinis ſubinde miſſiuncula, ad vitulorum promovendam pinguedinem, ſententiam propoſitam (CCXCIV.) roborat, contrariam, ad quam tuendam prolata eſt, liquidiſſime refellit.

CCC. Neque ad plethoram tuendam firmius quicquam profluvii ratio promittit. Quod non ſanguinis intus copia naſci, teſtantur phlegmaſiae prorſus eo, dum vigent, vacantes, et minime memorabili demum, ubi omni attenuantium genere corpus jam exhauſtum eſt, ac ſemel

tantum

tantum laborantes; teſtatur modicum idem haemorrhagiarum initio, cum incipit tantum exhauſtio, nec diatheſeos phlogiſticae, quicquid his morbis accidit, id multum adhuc imminuit; teſtatur largius dein uſque, et prout effectu ſuo longius phlogiſtica recedit, propius aſthenica diatheſis adeſt; teſtatur omnis tum denique modi expers, cum ipſius jam veterantis ſtragi dirus aſthenicae curationis effectus additus effoetum et ſpoliatum ſanguine corpus, orci faucibus admovet. Et quorſum ſymptomaticae ſanguinis in deſperatis febribus, ubi, poſt juſtam et longam famem, et, fame pejorem, omnis generis purgationem (CXXIV.), prope penitus jam exſangue corpus eſt, profuſiones, ſi non eodem, ſpectant?

ſpectant? Quid judicatoriae, niſi tanto plus ſpei, quanto ipſae parciores ſint, ſupereſſe, ſignificant? Quae non, ut vulgo creditur, bonae, non judicatoriae, tantumque minus alteris malae, rectaque exiguitatis ratione, ſunt. Quin et extra morborum idiopathicorum orbem, ſi hirudines ſunt admotae, ſi vulnera, gravia, levia, data; utrum in validis et plenis habitibus, an imbecillis et attenuatis, plaga ſanguinis plus emittet? Si in his, vero coactus, fateberis; an in iiſdem quoque ſanguinis plus ineſſe contendes. Non potes. In bonis habitibus, quales illi, vulnera et ulcera chirurgi naturae fere relinquunt, in malis, quales hi ſunt, ad corticem Peruvianum decurrunt. Quorſum haec omnia pertinent,

tinent, nisi ut, quo plus intus sanguinis sit, eo validiores vasorum contradictiones (CXLI.), esse, minusque profluvii periculi instare; quo minus illius supersit, eo infirmiores has evadere, et undeunde coepto profluvio languidius resistere; in omni denique corporis, dum vita superest, statu semper, unde maximum profluvium suppetat, sanguinis satis esse, confirment.

CCCI. Nec menstruorum, quae a plethora pendere, et hujus morbosae fundamentum praebere, vulgo credita sunt, ratio propositae (CCXCIII. CCXCIV.) conclusioni repugnat, contra rerum et rationum (CCXCIII.), eam tuentium, manifestam fidem firmat. Quem in finem, si robustissimae mulieres, quales

quales ſanguine maxime abundant, parciſſime, tenerrimae et delicatulae, quae debiles omnes et inaniores ſunt, fuſiſſime, menſtruant; ſi, in calidiſſimis regionibus, ubi mortalium omnium languor, menſtrua fere perpetua, in perquam frigidis, ubi dura et valida ſtirps humana, nulla fere profluunt; ſi, per luxuriam, ante poſtque menſtrualem aetatem, ſaepe ſanguis abundat, et, illa manente, propter tenuem vitae rationem, contrarius, ut res humanae ferunt, ſaepe corporis habitus iiſdem uſu venit; ſi, quantumvis plethorici credi poſſint, viri nunquam, quantumvis inanis alter ſexus eſt, ſemper plus minuſve menſtruat; ſi mulieribus queiſlibet menſtrua ſine certis conditionibus, cujuſmodi vaſorum

uteri

uteri circa pubertatem explicatio, resque venerea, sunt, nunquam; his oblatis, semper, incidunt; si denique, quod aliae foeminae tantum sub orgasmo, humanae extra hunc, perque circuitus in aliis alios, menstruant, id per memoriam in his validam, in illis forsan nullam, qua alterae dulcissimae rei imaginem in mentem revocare, et novam cupiditatem conciere possunt, alterae non possunt, item per leges, mores, religionem, pudorem, quanto minus liberum amorem concedunt, tanto magis mulieres accendentia, quin et per fabulas, amatoria colloquia, lautas epulas, quae omnia muliebri amoris sedi validissimum et assiduum stimulum objiciunt, alias foeminas, secundam naturam, et omnibus vinculis liberas, degentes,

tes, minime tangunt, facile explicabile eſt; haec omnia, quam non ſanguinis copia, ſed multis rebus, partim totum corpus, et hac naturalia, partim haec protinus, effectu reliquum corpus, valide moventibus, ſuo loco explicandis, pendeant, oſtendunt, et ad argumenta, quibus plethora refellitur, ſolidum robur addunt. Nihil igitur menſtruorum rationis ſimilitudo ad plethorae notionem firmandam, nihil non ad penitus evertendam, reliquis argumentis (CCXCVII. ad CCCII.) addita, confert.

CCCII. Nec alio profluvii, ut e ſupra dictis facile diſcas, cum creſcente magnitudine ſaepe diuturnitas ſpectat. Nam, ſi, haemorrhagiis maxime ineuntibus, dia-

thesis phlogistica subest (CCXCIII.), si dein ipsa profluvii diuturnitate, praeterque hanc curatione purgatrice et antiphlogistica, magis magisque minuitur, postremo prorsus desinit (CCXCIII. CCXCI.), aut etiam in asthenicam mutatur (CCXCVI.); et, si pro rata parte sanguinis intus summa necessario deminui usque firmata est (CCXCII.); quod attenuationis seu sanguinis penuriae manifesta origo est, id in plethorae causam, quo jure, qua veri specie, qua verborum probabilitate, torqueas? Non opus verbis. Plethorae, hac causa nascentis, opinio liquidissime refutata est (CCXCVI. ad CCCII.). Quam refutationem, jam plenissimis argumentis actam et transactam, repetere, foret causae clarissimis

clariſſimis indiciis evictae, quaſi diffidere.

CCCIII. Exceptis igitur phlegmaſiis (CCXII. CCXXX. ad CCLXXXVII.), haemorrhagiiſque non tamdiu, quamdiu perſtare creditae ſunt (CCLXXVII.adCCCII.), item exanthematis phlogiſticis, poſt ſuo loco memorandis, et ad hos opportunitate; nunquam corpori humano plethora, ſemper contrarius vaſorum ſtatus, ut fuſiſſime declarata, ſubeſt. Quae tamen multis morbis in pura totius corporis debilitate, vaſorum attenuatione poſitis, tributa cum ſit, id aliud pathologiae phlogiſticae ſolius notae, et ad omnes morbos deductae, exemplum eſt. Unde, quicquid ſimulent opinionum fabricatores, omnes tamen inter Sy-

denhamianas et Stahlianas partes divisos, nullas ipsos res reputasse, aut secum animo expendisse, novi praeter verba nihil attulisse, luce clarius constat. Apud omnes fere, deminutis viribus, deminuta cibi copia, crescere tamen intus sanguinem, tanquam sine causa effectus existere posset (CCXCIII.), invaluit opinio: Omnibus fere, tam in purae debilitatis morbis, quales algeae, haemorrhoeae, apoplexia, epilepsia, asthma, hysteria, podagra, dyspepsia luxum secuta, quos adfectus ex indirecta debilitate nasci, similique curatione, ac ex recta natos, tractandos, suo loco demonstrabitur, quam in plenis vere et phlogisticis, curationem asthenicam respondere, nulla nisi magnitudinis differentia,

ferentia, ſi dîs placet, ſtatuta, viſum eſt. Qua ſive pathologia, ſive curatione, quid futilius, quid damnoſius aut peſtiferum magis, eſſe potuit? Uſque adeone fragilis et caduca mortalium natura in nimias vires, humoris vitalis abundantiam, nititur, ut, cum, haec utraque nimis augentes, poteſtates morborum, in nimia incitatione poſitorum, periculum, hoſque ipſos, haud dubie faciant, non contrarios morbos, et ad eos opportunitatem, parum incitantes poteſtates creent? Si ſolus cibus ſtimulans peripneumoniam aut haemorrhoida facere poteſt (CXLI. CCXXXI.), an is deficiens nullum morbum, cujuſmodi rheumatalagia aut haemorrhaea aut dyſpepſia ſunt, parere poſſe putandus? Quod ſi

hinc quoque, et ex ſimilibus noxis, debilitando agentibus, morborum periculum et morbos eſſe, dandum; quo tamen modo talis ab iis corporis ſtatus, qualis a contrariis ſolet, concitari, idemque nimis pariter, et non ſatis, ſtimulantium noxarum effectus eſſe, judicandus? Ad qualem curationem haec pathologia ducit? Nonne, ut omnibus morbis, quantumvis in debilitate fundatis, quos ſanguinis profluvium comitatur, in omnibus, luxum et deſidiam tandem ſequentibus, ſine fine ſanguis, et quoad guttula intus ſuberit, adimatur, et omne curationis antiphlogiſticae et purgatricis genus in extrema debilitate exerceatur? Unde, poſtquam in haemorrhagiis ſemel ſtrictus ſcalpellus, quantumvis juſ-

te,

te, an in ſupra relatis (CCCIII.) et aliis morbis aſthenicis, indirecta nimii ſtimuli (CCIV. LIX. CCCIII.) debilitate natis, finem quiſquam ſtatuit? Praeter phlogiſticos morbos, modo exceptos, monſtra unum tantum, cùi talis curatio vel leviſſimam ſalutis ſpeciem attulerit, unum, cui non noxae manifeſtae, et ſaepe perniciei fuerit. In ſchola diſcis, lectione firmas, dein invicem doces, ea plerumques vera, quae nunquam, ea raro, quae perpetuo, ſunt; et in curationibus tuis illa, ceu communia, perſequeris, haec, ceu propria, normâque excipienda, fugis; nec unquam, ſerie ſtudiorum, reputas, conſtantem ſibi naturam, perpetuis agere legibus (CXIII. p. 99.) et nihil excipere. Plethoram

ram ſemper ſubeſſe, tibi perſuades, attenuantem curationem nunquam frugiferam vides. Sola tamen uteris, incidiſſe te in propria, ſcilicet, exiſtimans. Hic jactatus longi uſus in arte medica fructus, haec experientia diu in curationibus verſatorum eſt! Quarum perpetua ſuis dogmatis infelicitas cultores nunquam expellit; nunquam mente quatit ſolida. Propter irritationem (CXXI. p. 119. 126.) aut plethoram in omnibus morbis curatio antiphlogiſtica colitur. Quae, praeter phlogiſticos, in omnibus nocens, non tamen ad ſanam mentem curantes revocat. Alexipharmaca ratio in peripneumonia, variola, rubeola, et ſynocha phrenitica, id eſt, in validae diatheſeos phlogiſticae morbis, ſummo detrimento

trimento fuit, antiphlogiſtica, praeter hos, in omnibus eſt. Utraque mala, pejor haec tanto, quanto latior ejus ſtrages. Si cum ſororibus humanae ſaluti Tyſiphone praeficeretur, quî pejus, niſi alexipharmacam peſtem antiphlogiſticae ſuperaddendo, conſuleret?

CCCIV. Haemorrhagiae, ſolae memoria dignae, ſunt menorrhagia, haemorrhois, epiſtaxis, et cataphora, quae vulgo apoplexia in habitu pleno eſt.

## HISTORIA MENORRHAGIÆ.

CCCV. Menorrhagia haemorrhagia (CCLXXVII.) eſt, hypogaſtrio circumcirca, tanquam in partu dolente, menſtruis praeter ſolitum abundantibus aut morantibus.

CCCVI. Menorrhagiae ſymptomata ex aucta ſanorum menſtruorum, quaecunque eſt, cauſa pendent. Quorum prope infinitae, hactenus traditae, rationes, omnes a vero pariter et uſu remotae, non unum hunc, ſed longe maximam morborum partem, reflexis in ipſum artis fontem erroribus, peſſumdederunt. Adeo recta via exceſſum erat, ut, plethora, quam nullius morbi cauſam perſpicuum (CCXCIII. ad CCCIII.) eſt, eſſet an deeſſet, omiſſa prorſus quaeſtione, ſolum fere, utrum illa totum corpus, an partem laborantem, adſiciens, menſtruorum, ſive juſtorum, ſive ad morbi modum auctorum, ac proinde reliquarum haemorrhagiarum, item haemorrhoearum, et aliorum morborum, cauſa eſſet,

quaere-

quaereretur. Quae quaeſtio, poſt plethoram jam fuſius refutatam (CCXCIII.ad CCCIII.), quia ſupervacua eſt, omittenda, et vera menſtruorum cauſa paucis anquirenda.

CCCVII. Ut omnia, creſcente corpore, vaſa paulatim, ſic genitalia, ſic uterina, noviſſime, explicantur. Quorum fines, in uteri parietes deſinentes, circa pubertatem tandem tantopere amplificantur, ut jam ſeroſam ſanguinis partem prius, dein, poſt aliquam moliminis moram, juſtum ipſum trajiciant. Cui negotio favent alia. Hoc vitae tempore magna totius corporis mutatio fit. Coeundi deſiderium novo ſtimulo totum corpus, et, prae reliquis ejus partibus, utriuſque ſexus genitalia, ſequioris cum ovariis totam uteri

vaginaeque

vaginaeque regionem, commovet. Quo ſtimuli ſedes uterus aſſidue fere ſollicitata, potentius hoc adficitur, quo plus incitabilitatis, nullo tali ſtimulo hactenus tentatae, ſubeſt (XVI.), et quo novus ſtimulus ipſe exquiſitius incitat. Hinc, inter reliqua inſtrumenta (CCLXXXVIII.), muſculares vaſorum proximorum fibrae, ſicut his intermixti nervi, ſummam incitationem ſubeunt. Haec, toto corpore (XXXIV.) creſcens, uterinam rurſus adauget. Mutuus utriuſque ſexûs, ſive per os, ſive manibus, ſive alibi, contactus, utraque genitalia, uterumque memorabiliter, ſed maxime juſtus coitus, accendit. Complexuum recordatio manet, caram voluptatis imaginem renovat, et excitare uterum

uterum plus minuſve non ceſſat. Quem novum adfectum nulli ſti-muli, quales admoveri corpori ſo-lent, non porro fovent aluntque. Hinc, abſente, praeſente qui ama-tur, omni fere tempore, ne ſomni quidem ſaepe excepto, ſtimulus uterum inceſſit. Qui tantus, tam-que conſtans, eoque potentior, quod novus integram hic incita-bilitatem ſignificat, vaſorum uteri, jàm ſatis explicatorum, fibras in vehementes contractiones concitat. Pervehitur igitur in uterinam re-gionem rapidiſſime ſanguis, eoque magis uſque, quo, valide vaſa diſ-tendendo, et impetu concutiendo, ipſe magis eaſdem fibras ſtimulans, actionem, quo percitatur, intentat. Hinc primum menſtruorum pro-fluvium naſcitur. Cui duae con-

 ditiones,

ditiones, ſatis ampla vaſorum diameter, et ſtimulus, in integram incitabilitatem, ob novitatem potentius agens, neceſſariae ſunt. Qui ſtatus non aliis corporis repugnat, ſed quorundam notorum rationis habet ſimilitudinem. Sic alia vaſa per diametrorum differentiam aliis inſervire uſibus cernuntur. Perſpiratoria vapori, excernentia canalis alimentarii tenuiori, renalia craſſiori, humori, trajiciendo deſtinantur; quo minus eſſe quoque, quae juſti ſanguinis trajectui accommodentur, mireris.

CCCVIII. Quod aliarum animantium foeminae tantum in orgaſmo menſtruant, non alias, id, ut ſupra dictum (CCCI.), ideo fit, quia certis tantum tempori-

bus

bus ſtimulo, menſtruorum potenti, patent. Unde, menſtrua in mulieribus non tam alienam rem ab animali natura eſſe, diſci poteſt.

CCCIX. Quantum relato ſtimulo debeatur, hinc porro patet, quod, quo minus amori mulieres deditae ſint, eo parcius, quo magis libidini inſerviant, eo liberius, hoc profluvium experiuntur; quod ante pubertatem, poſtque menſtruandi aetatem, quibus temporibus nondum coepit, aut jam deſiit, amandi facultas, idem perpetuo deeſt; quod amoris inopia, quae debilitando et ſtimulum venereum hebetando, chloroſin et ſimilia mala parit, in primis amenorrhaeam creat; quodque denique, quae puellae praecoces, validis viribus, et magnis artubus, citius

viris maturefcunt, eae citius, quae invalidae, pufillae, et parvis corporibus, tardius pubertatem attingunt, eae ferius menftruant. Poftremo, fi vis amandi diuturnitate fimul et magnitudine finiri, citiufque aut ferius inchoatus concubitus maturiorem pro rata parte aut ferum magis terminum habere, nec huic menftrua fupereffe folere, lubenter conceduntur; ea quoque res conclufioni pondus addet, et, quantum ab oeftro venereo menftrua pendeant, in illuftriore monumento ponet. Praeter igitur vaforum conformationem (CCCVII.) menftruis accommodam, et ftimulum relatum (CCCVII.), nihil amplius, ad inchoandum, conftituendum, et confirmandum profluvium illud, opus eft.

CCCX.

CCCX. Quo modo menſtrua in laxis, infirmioribus, eoque magis ab amore, quod credibile eſt, alienis, procedant, ut ad hunc locum non attinens, tum exponetur, cum ad menorrhaeam, ſecundae ſpeciei morbum, fuerit perventum.

CCCXI. Quae poteſtates incitantes (CCCIX.) ſic naturalia menſtrua faciunt, eae, paulo vehementiores, noxae fiunt, queis eadem, modum ſuperantia, ſeu menorrhagia, concitantur. Inter quas cogitationes impudicae, vehementior animi adfectuum vis, primum locum obtinent. Sic lectio, colloquia, pictura, ad libidinem accendendam comparata, partes celandae retectae, vivas in animo rei deſideratae imagines cientia, quantum valeant, nemini, praeter eu-

nuchos, ut videtur, obſcurum eſſe poteſt. Eodem cibus alens et potio merax, eodem condimenta pertinent. Hinc id, quod vulgo dici ſolet, ſine Baccho et Cerere friget Venus. Item exercitatio laborve non delaſſans, ſed intra ſtimulandi finem conſiſtens, quin et abundans ſimul hinc, et ex ubere cibo, ſanguis; poſtremo concubitus frequens, ardens, aut inconceſſa hujus imitatio, quanto magis ſtimulant, tanto largius menſtruale profluvium, nec raro ad morbi modum, concient.

CCCXII. Ut his rebus mulieres, in luxu vitam agentes, parcioribus et ſorte tenuioribus, vehementius ad amorem accenduntur, et fuſius menſtruant; ſic illarum cum harum conditione comparata, menſtruorum

ſtruorum copiam ſtimulantis operis magnitudini reſpondere, hoc creſcente, exacta ratione creſcere, in juſtum etiam morbum erumpere, hujuſque demum forma tamdiu, dum citra diatheſeos phlogiſticae fines effectus conſiſtit, permanere, patet. Cui obſervationi, longe aliam profluvii, quod debilitas cauſa continet, poſtea memorandum, rationem eſſe, quod ſupra dictis ex parte diſci poteſt, addendum.

CCCXIII. In eo diatheſeos, quod haemorrhagiis convenit, non cohibetur profluvium, quia quod diatheſeos maxime perſpiratoria, propter exiguas diametros, vaſcula, minus, cauſa majorum, interna excernentia obtinet, id, ob majores etiam, minime menſtrualia tangit. Quod ſi quando, poſt noxas ſummopere

mopere ſtimulantes, omnibus maximi vigoris ſignis comitantibus, incidens menſtuorum ſuppreſſio ſolitae phlogiſticorum morborum curationi cedit, is ex phlegmaſiis, eſſe, majore, quam quae haemorrhagiis (CCXCII.) accommodetur, diatheſi naſci, et ad ſupra propoſitam ſententiam firmandam pertinere, judicandus. Qui corporis ſtatus ab eo, qui parca menſtrua, ſine nimio ſtimulorum opere, frigidis in orbis plagis, et robuſtis mulieribus, ſuppeditat, cum cura diſtinguendus; eoque magis, quod per ſtimulos relatos (CCCVII.) potiſſimum fit, ut mulieres aliis foeminis tanto magis menſtruent. Et poſtquam procedentibus annis explicata vaſa ſunt, adeo patula tandem fieri, ut a diatheſi

thesi phlogistica quantalibet, aegre reddantur impervia, recordandum. Quod cum ita sit, talem morbum, quamvis rarius, incidere tamen posse, fidem facit id, quod viris raro quidem, sed aliquando tamen, usu venit. Sic validissimos et perquam phlogisticos, cum pulcherrima et dilectissima venereos ritus celebrantes, excernere semen non potuisse, et tam caetera curatione antiphlogistica, quam sanguinis detractione, ad justarum virium statum restitutos accepimus. Qui morbus non spasmus, qui a debilitate semper oritur (XLVI. XLIX.), stimulante curatione semper tollitur, sed diathesis phlogistica, cum reliquum corpus, tum colis vasa potissimum, obtinens. Quam diathesin minorem a solitis noxis factam,

tam, ſtimulus oeſtri venerei, ad eam magnitudinem, in qua morbus relatus poſitus, attollit. Cui ſimilis diatheſeos magnitudo, ſimili cauſa prognata, ſimilem adfectum, menſtruorum ex nimia diatheſi pendentem ſuppreſſionem, parere poteſt. Neque vel ad ſpaſmum propter hic expoſitam rationem, vel ad fibrarum rigorem ob aliam, cauſa referenda eſt. Rigor enim fibrarum mera contemplatio eſt, et, ubicunque diatheſeos phlogiſticae ſigna manifeſta ſunt, ea vera cauſa ſubeſt (XLVI.). De qua quae porro dicenda videantur, poſtea ſub hypochondriaſi, cum ad eam ventum fuerit, exponentur.

CCCXIV. Hypogaſtrii circumcirca dolor ex ſanguinis abundantia,

tia, vaſa menſtrualia nimis diſtendente, itaque ſtimulante incitanteque, ſicut ſaepe alias, naſcitur. Eadem praeter ſolitum abundantium diutiuſque permanentium menſtruorum cum ſtimulis relatis (CCCVII.) origo. Qui ſtimulus cum reliquis iis in totum reliquum corpus (CCCVII.) ſimul et uterum, paulo magis directus, ubique nimiam, ac proinde illic incitationem, ſeu diatheſin phlogiſticam, concitat. Quae non eadem vaſa occludit, quia diatheſis hic, quam in phlegmaſiis, minor, et vaſorum diameter iis, quae illa diatheſi occludi ſolent, amplior, illum effectum prohibent.

CCCXV. Ut univerſo corpori communis plethora a menſtruorum cauſa rejicienda eſt, ita vaſis menſtruo-

menſtruorum propriis nihilo magis, ob rationes expoſitas, recipienda. Nam ſic effectus pro cauſa manifeſte apprehenditur.

CCCXVI. Ex menorrhaea, morbo aſthenico, poſt ſuo loco memorando, menorrhagia, diatheſeos phlogiſticae ſignis hanc, aſthenicae illam comitantibus, diſtinguenda.

## HÆMORRHOIDIS HISTORIA.

CCCXVII. Haemorrhois haemorrhagia (CCLXXVII.) eſt, quam capitis gravitas, quaſi vertigine circumacti ſenſus, ejuſdem, lumborum, et ani, dolor; et e lividis circum anum tuberculis, vel ipſo hoc ſine tumore patente ſanguinis profluvium, inſigniunt.

CCCXVIII. Capitis gravitas, quaſi vertigo, item dolor majori in capite incitatione; hic lumbos anumque tentans eadem, qua modo explicatus(CCCXIII.p.309.CCXX. CCXXII.) cauſa naſcuntur.

CCCXIX. Tubercula, circa anum ſuffuſus in telam celluloſam ſanguis, ſunt; extremis arteriolis rubris, et inde exhalantibus productis, ob firmae ſuae materiae imbecillitatem(CCLXXXIX.adCCXCII.), diſtentioni et impetui cedentibus. Cujus generis adfectum intus, melaenam vulgo vocatum, ſanguinis ex ano ſine tumore conſpicuo profluvium ſignificat.

CCCXX. Sine communibus haemorrhagiarum ſignis, ex compreſſione, ſanguinis in venis ad cor reditui reſiſtente, ſimile pro-

fluvium quandoque accidit. Quod locale malum ab idiopathico (LXXX.), et huic alterum idiopathicum ſaepe ſubiens, ſed e contraria diatheſi pendens, accurate diſtinguendum.

## EPISTAXIDIS HISTORIA.

CCCXXI. Epiſtaxis, quoties haemorhagia eſt (CCLXXVII.), praeter hujus ſigna, dolente vel gravato quaſi capite, rubente vultu, naribus effluente ſanguine, cognoſcitur.

CCCXXII. Hoc profluvium pueritiae, pubertati, aetati florenti, vigenti, provectae et confectae commune, multo ſaepius febrium, phlegmaſiarum, menorrhagiae, et aliorum utriuſque ſpeciei morborum,

rum, ſymptomaticum, quam idiopathicum, definitionis (CCCXXI.) ſignis cognoſcendum, ab illis malis dignoſcendum.

CCCXXIII. Capitis dolor, quaſi gravitas, vultus rubor, ſanguinis intra cranium abundantiae, nimiam incitationem parienti, tribuenda et, ut ſupra (CCCXVIII.), explicanda. Neque ſanguinis profluvium novam explicationem (CCCXIX.) requirit.

CCCXXIV. Idem adfectus raro idiopathicus phlogiſticus, rarius diuturnior, aut paulo gravior, eſt, ſemper fere ſponte ſuo profluvio tolitur; eſt ubi in contrarium tranſit. Quoties e vulnere capitis ſanguis naribus exit, in manifeſta ejus ſymptomatica natura diſtinctio omnis ſupervacua.

## HISTORIA CATAPHORÆ.

CCCXXV. Cataphora quoque haemorrhagia (CCLXXVII.), sed rarius, est; ubi, post validum stimulum, caput, quasi gravatur, dolet, stupet, vultus rubet, aut suffunditur, omnibus aut aliquibus, qui voluntati parent, motibus saepe cum sopore imminutis aut convulsis: Saepe magna capita, brevia colla laborantium sunt.

CCCXXVI. Capitalia symptomata stuporque relatam explicationem (CCCXXIII.) recipiunt.

CCCXXVII. Cum omnes motus, voluntati parentes, imminuuntur, morbus vulgo, sub apoplexiae titulo, plethora venosa, in capitis vasis eminente, natus creditur.

creditur. Cum eorundem motuum pauci tantum deficiunt, adfectus, ex eadem causa pendere, paralyseos nomine, creditur. Idemque morbus, iisdem motibus ex eadem origine convulsis, epilepsiae vocabulum accipit. Neque, licet iidem symptomatum concursus cum debilitate conjungi nuper doceri coeperint, non eadem curatio, quoties ad hanc serio perventum est, tamen adhibetur. Sed a debilitate plethora abhorrere, hujusque per antiphlogistica, id est, porro debilitantia, medendae ratio exitio esse, demonstrata est (CXXIX. CCXCVIII. CXXII.). Et tota doctrina e verae debilitatis ignorantia, et nulla pathologia nisi phlogistica, nulla curatione praeter antiphlogisticam cognita, capitali

 errore

errore tracta (CCCIII.) eſt. Quae ſi unquam reſpondeat, id eſt, curatio antiphlogiſtica morbum unquam haud ambigue tollat, non plethora ſive cum debilitate, ſeu ſine hac, cauſa, ſed diatheſis phlogiſtica, judicanda eſt. Verum, ſi, qua aetate hic morbus, et cui generi hominum potiſſimum incidat, conſideretur, etiam illa rara origo ducetur. Nam

CCCXXVIII. Diatheſis phlogiſtica, quanquam quovis tempore, et quoſlibet homines adficere poteſt, multo tamen rarius aetate provectos adficit. Cumque plenus victus, qui ſaepe praecedere animadvertitur, aliquam ſtimulatricis cauſae ſpeciem oſtendere videri poſſit, hanc tamen ex toto ſpeciem plerumque eſſe, ſupra confirmatum (CXXIX.).

(CXXIX.). Denique, ut cataphora, qualis definita (CCCXXIV.), occurrere quidem, quia deficientis incitabilitatis defectum insoliti stimuli magnitudo pensare potest, (LIII.) minime neganda; ita, quo rarius tamen occurrat, is ipse incitabilitatis defectus, et necessaria stimuli magnitudo, faciunt. Quod ita se habere, convulsio, nervorum resolutio, et inopia mentis, argumento sunt; quae morbis purae debilitatis facile, phlogisticis, nisi jam finitis, et in illos mutatis, non omnino, congruunt. Unus aut alter in variola convulsionis impetus parum recte bonus judicatur; utpote qui, nimiam diatheseos phlogisticae incitationem jam in eo esse ut exhauriatur (XIX.), indicet; rectius non malus, ut, substitisse

morbi

morbi vim citra illum effectum, indicans, dicendus; et pluribus, hunc jam consummatum patefacientibus, melior ducendus.

CCCXXIX. Nunquam igitur pro cataphora quivis adfectus, qui in paralysin aut epilepsiam firmatas et longas transeat, aut plus semel recurrentis apoplexiae speciem praebeat, habendus; propterea quod hae mentis, et ei parentium motuum, affectiones e debilitante origine pendeant, non a cerebri per plethoram compressione, quae non est, et, si esset, ita aequalis, ut aequalem effectum praestet, nequiret permanere, contineantur necesse est.

CCCXXX. Acutus morbus cataphora sit, noxam stimulatricem manifestam, et minime per magnitudinem

nitudinem eventu debilitantem, consequatur, sanguinisque detractioni protinus et aperte cedat, oportet. Nec satis est, quod post mortem sanguis effusus saepe deprehenditur, siquidem illud non origo causae, sed serus effectus esse, et ab ipsa debilitate pendere, potest.

CCCXXXI. Porro, justum profluvium aut insolita sanguinis abundantia cataphorae non praecedunt. E quibus abundantiae eadem hic, quae in aliis haemorrhagiis, ratio, scilicet, ut diatheseos magnitudini respondeat (CCLXXXVII.). Procedente vita cerebri vis, longo cogitationis et multorum, quales vita communis plerumque fert, adfectuum usu, aliisque stimulis totum corpus, eoque cerebrum quoque, moventibus,

tibus, paulatim imbecillior, et incitabilitatis egentior, tandem, ſtimulantis operis plus, quam ante, quo is defectus penſetur, requirit. Hinc, quamvis cibi tanto minus, quanto provectior aetas ſit, plerumque deſideratur, quia tamen hac in re conſuetudo multum valet, per hujus vim plus juſto quandoque poteſt accipi. Quodque conſuetius eſt, potionis non plus tantum, ſed et meracioris, vulgo accipitur. Quibus ſtimulis et aliis, quales iracundia, aut quaevis animi gravior et frequentior perturbatio, item cogitandi contentio, ſunt, modum excedentibus, tametſi is exceſſus, quam aetate priore facilior toleratu eſt, quandoque tamen incitatio nimia, quae diatheſeos phlogiſticae tantum, quanto

to ad haemorrhagias dandas opus est, pariat, exoritur. Id incitationis, quod hoc efficit, ad nimium, quo phlegmaſia graviorve quivis morbus phlogiſticus naſcitur; aut ad extremum, quo incitabilitas exhauriri, incitatio finiri, et aſthenicus morbus naſci, incipit, non procedens, ſed indirectam citra debilitatem ſubſiſtens, haemorrhagicum morbum creat. Quem tamen effectum, ut phlegmaſiis gravioribus hac aetate frequentior aliquanto eſt, ita morbis debilitatis multo rariorem, memineris. Quippe enim, propter imminutam toto corpore, magiſque in cerebro, quam caetera pari parte, incitabilitatem, unde, ad ſtatum phlogiſticum praeſtandum, multo ſtimulantis operis, quam ante, plus requiritur;

quiritur; ideo diathesis phlogistica, sive major, sive minor, et inde pendentes morbi, difficilius hac aetate incidunt, aegrius, et non, nisi insolita stimuli vi perstante, permanent, minusque cerebrum, cujus incitabilitas anteactae vitae stimulis, quales cogitatio et adfectuum frequentia sunt, etiam magis confecta est, adfectant. Hinc indirectae debilitatis morbi, vel minimum stimulo remisso, pronius existunt, et promptius in hos phlogistici vertuntur. Hinc, ut in altera specie videre erit, apoplexia, paralysis, et epilepsia, longe frequentissimae, cataphora rarissima, sunt. Eadem, sublatu facilior, in illas transire magis periclitatur.

CCCXXXII. Quae tamen quoniam non accidere dubitanda est, quia

quia ſine fine vis ſtimulans (XV.) eſt, ejuſque in quovis corporis ſtatu, cui vel minimum incitabilitatis ſuperſit, tantum admoveri poteſt, quantum nimiam incitationem, cuilibet morbo phlogiſtico concitando parem, pariat; quo certius, ubi accidit, cognoſcatur, et ab apoplexia, paralyſi, et epilepſia, dignoſcatur, ſigna quaedam intuenda ſunt. Haec omnia talia ſint neceſſe eſt, qualia validam incitationem ſubeſſe, vehementem ſtimulum recens praeiiſſe, declarent.

CCCXXXIII. Hujuſmodi ſtimulum in eo, qui validior eſt, ira gravis, crapula, magna potionis meracis vis, ardor ſolis, et ſimilia, praebent. Haec, nimis et ſubito ſtimulando, nocuiſſe, certius hoc percipies, ſi aetatem plurimum

provectam non esse, si luxuriam, desidiam, et reliqua, quae longo vitae usu incitabilitatem tandem consumunt, non praecessisse, sed, post stimulum recens obortum, morbum prodiisse, et subito id factum esse, comperies.

CCCXXXIV. Ut cataphora sic a relatis morbis distinguenda, ita, si quando similis relatis (CCCX.) symptomatum concursus, post capitis vulnera, cranium fractum et hujus intropressa fragmina, subnascitur, eorum simul et curationis differentia tamen animadvertetur (LXXX. LXXXII. LXXXIV.), et ad locales adfectus, post tractandos, is rejicietur.

EXAN-

# EXANTHEMATUM PHLOGISTICORUM HISTORIA.

CCCXXXV. Exanthemata phlogiſtica ſunt, poſt contagionem, et ſolitas diatheſin phlogiſticam (CXXXI. ad CXLIX.) facere noxas, prius pyrexia phlogiſtica, ſeu ſynocha, dein, interpoſito temporis ſpatio, non ad amuſſim certo, papulae maculaeve cutem diſtinguentes.

CCCXXXVI. Exanthematicos morbos ab aliis phlogiſticis nulla cujuſvis momenti re differre, hoc valido argumento eſt, quod, praeter eruptionem et ad eam pertinentia, nihil in ſignis, praeter contagionem,

tagionem, nihil in noxis, novi deprehenditur, et eadem prorſus, ſive ad occurrendum, ſive medendum, auxilio ſunt comperta. Quod cum ita ſit, tamen, propter eruptionem et ei propria, exanthematicos ab affinibus morbis ſeparaſſe, cum diverſiſſimis tam ab iis, quam inter ſe, conjunxiſſe, inſcitiae ſummae fuit. Quo enim modo, cum eruptionis, quiſquis eſt, effectum ſolita curatio ſolvit, aliam, et non eandem prorſus, cauſam ſubeſſe, credibile cuiquam; niſi iterum cum iis, quibus, eundem effectum ab aliis cauſis fluere, placeat, res ſit? Non ſane communi phlogiſtico contrarium contagionis opus, ſed aut idem, aut nihil, niſi ut propriam morbi formam det, quod mox anquiretur, exiſtimandum.

CCCXXXVII.

CCCXXXVII. Contagio materia quaedam eſt, caeca, incognitae naturae, et, ut pleraque rerum, tantummodo evidentioribus effectibus ullo modo patens. E corpore laborantis, aut craſſiore materia, qualis veſtis aut ſuppellex, ubi forte delituerit, ſano corpore recepta, ſine ulla firmorum aut humorum mutatione manifeſta, fermenteſcit, omnia vaſa replet, dein paulatim foraminibus excernitur.

CCCXXXVIII. Cumque nullus eam effectus, praeter diatheſin phlogiſticam, ſequatur, hanc alias facere ſolitae noxae plerumque morbo praecedant, et curatio antiphlogiſtica ſemper et ſola reſpondeat, eoque a relatis hactenus morbis ejus effectus minime differat; ideo jure cum iis, tanquam ad eandem ſpe-

ciem pertinentes, ab illa nati morbi conjunguntur.

CCCXXXIX. Inter quos hoc ſolum intereſt, quod in exanthematicis materia temporis, quo corpore efferatur, aliquod, in alio aliud, requirit, eoque copioſius aut parcius effertur, quo liberior aut impeditior perſpiratio fit. Quam nullus ſpaſmus, nulla frigoris conſtrictio, ſolaque phlogiſtica in ſummo corpore diatheſis (CXXXII. CXXXIII. CXXXV. CLIX.) impedit; ut hoc patet, quod frigus debilitante opere, liberum materiae exitum pariendo, perſpirationem clare expedit. Quod, diatheſin imminuendo, non ſpaſmum ſolvendo, facere ſupra demonſtratum. Ut materiae per liberam perſpira-

perſpirationem ſic exitus expeditur, ita

CCCXL. Quaecunque ejuſdem pars infra cuticulam moratur, ea, morando, certam acrimoniam adquirit, inflammatiunculas facit, factas ad ſuppurationem perducit. Quae, partem laborantem irritando, pyrexiam et diatheſin phlogiſticam ſymptomaticam, ab idiopathica diſtinguendam, concitant.

CCCXLI. Plus minuſve certum eruptionis tempus eſt, quia fermentandi opus, quodam tenus certum et aequale, eodem tenus certum et aequale tempus, quo peragatur, corpore diffundatur, et ſummum hoc attingat, effectu teſte, requirit. Rurſus non ad amuſſim certum eſt, quia perſpiratio, vari-

ante

ante vigore, vegeta magis aut languidior ſit, neceſſe eſt.

CCCXLII. Pyrexia, eruptionis ſymptomatica, quandoque febris juſtae formam ſumit, quia ſtimuli, quem toto ſummo corpori objicit eruptio, magnitudo nimiam ad extremum incitationem, eoque hujus finem, et indirectam debilitatem, parit (XIX.)

## HISTORIA VARIOLÆ.

CCCXLIII. Variola exanthema (CCCXXXV.) eſt, cujus tertio vel quarto die, quandoque ſerius, erumpunt parvae, inflammatae, mox in juſtas puſtulas iturae, papulae; liquorem, octavo fere poſt eruptionem die, ſaepe ſerius, in pus mutatum, dein exſiccatum, et cruſtarum demum forma dilapſum,

ſum, concludentes. Eruptio, pro diatheſeos phlogiſticae magnitudine, major, minor, aut minima, eſt.

CCCXLIV. Haec omnia fermentationis lege, modo (CCCXL.) memorata, reguntur. Puſtularum numerus, diatheſeos menſurae reſpondens, ſine facientibus hanc noxis nihil contagionem ad verum morboſum ſtatum creandum valere, et morbi tantum formam exteriorem dirigere, declarat.

## HISTORIA RUBEOLÆ.

CCCXLV. Rubeola exanthèma (CCCXXXV.) eſt, a ſternutatione, oculorum madore, tuſſi ſicca, et raucedine, incipiens; cujus quarto die vel ſerius, papularum exiguarum, frequentium, vix eminentium,

um, triduo fere, aut ſerius, in ſquammulas quaſi furfureas deſinentium, eruptio prodit; praecedente diatheſi phlogiſtica gravis morbus, abſente vel minus evidente levior, ſed phlogiſticus tamen futurus.

CCCXLVI. Sternutatio, mador oculorum, tuſſis ſicca et raucedo, ſymptomata catarrhalia ſunt (CCLXXI. ad CCLXXVI.), eoque a diatheſi phlogiſtica pendent. Quae quoniam, quatuor dies aut amplius ante eruptionem, id eſt, antequam materia loca laborantia attigiſſe videtur, apparent, et perpetua ſunt; inde diatheſis phlogiſtica ſolitas ipſam facere noxas, non propriam hic materiam, conſequi, et rubeolae eſſe neceſſaria, credenda. Quod etiamſi negetur, et a materia naſci illa ſymptomata conten-

contendantur; nihil tamen a reliquis morbis phlogiſticis hic differre, ſed pariter in diatheſi phlogiſtica poſitus eſſe, et antiphlogiſticis auxiliis cedere, dandus; et, quod eundem, quem ſolitae noxae phlogiſticae, materia trahit eventum, ſic idem prorſus ejus opus, eadem morbi cauſa, fatenda. Unde nihil in medendi conſilio novi, niſi, quod huic cum reliquis exanthematis phlogiſticis commune eſt, ut materiae, quo corpore auferatur, tempus detur, et eodem perſpirationi, quo alias diatheſis phlogiſtica tractari ſolet, modo conſulatur.

CCCXLVII. Eruptio jam traditam (CCCXLV.) rationem recipit. Quod gravis morbus, praecedente diatheſi phlogiſtica, in leviore

viore hac levior, eſt ; ea res, quam non, a ſolitis diatheſin facere noxis contagionis opus differat, inſuper confirmat.

CCCXLVIII. Ubi diatheſis invaleſcens perſpirationem ſupprimit, pro tempore ſaepe evaneſcit, velut interiora peteret, eruptio. Quod periculum maxime in fine morbi intentatur, et materiam eodem, quo varioloſa per ſummum corpus modo, inflammationem ſymptomaticam accendere commonſtrat. Hinc cum aliis viſceribus ſaepe pulmones inflammantur. Quae inflammatio ſymptomatica dicitur, quia non, idiopathicae ritu, a diatheſi communi, ſed materiae, nunc has, nunc illas partes, petentis, acrimonia pendet. Cujus effectus pyrexiam quoque ſymptomaticam, ab idiopathica

diopathica diſtinguendam, concitat.

## HISTORIA SCARLATINÆ.

CCCXLIX. Scarlatina exanthema eſt; cujus quarto circiter die, aut ſerius, vultus aliquantum ſimul intumeſcit, et cutis paſſim rubedine floreſcit, dein amplis maculis, poſt coalituris, et triduo in ſquammulas, tanquam furfureas, abituris, diſcriminatur. Quae, non niſi poſt phlogiſticam diatheſin aliunde factam, naſcuntur: Iiſque ſimilia contrarium morbum, poſt memorandum, conflant.

CCCL. Eruptio, quodam tempore prodiens, et aliquamdiu permanens, fermentationi, tempus quoddam, et in alio morbo aliud,

 poſtu-

poſtulanti, ſimili modo, quo ante (CCCXLIV.) explicatum, tribuenda.

CCCLI. Vultus tumor a diatheſi phlogiſtica illic, quam in pari alio loco, majore pendet. Quam, praeter ſolitas eam facientes noxas, materia contagioſa jam ad cutem accedens, augere putanda.

CCCLII. Haec materia ſtatus morboſi nihil ſola creat, exteriorem et exanthematicam morbi faciem tantum dat, et diatheſeos, ſive phlogiſticae, ſive aſthenicae, naturam ſequitur. Hinc, poſt eam corpori admotam, modo phlogiſticus, qualis definitus, modo aſthenicus, morbus, poſt ſuo loco memorandus, exoritur. Quod diſcrepantes ſcriptorum, aliorum alteram ejus naturam tuentium, et

inter

inter se adversis frontibus repugnantes, tam explicationes, quam curationes, conciliat.

## APYREXIARUM PHLOGISTICARUM HISTORIA.

CCCLIII. Apyrexiae phlogisticae, nimia diathesi phlogistica, vasa minus, aliquam partem insignius, movente, nascuntur. Ejus praecipua exempla mania, pervigilium, et obesitas, sint.

## HISTORIA MANIÆ.

CCCLIV. Mania est phlogistica apyrexia; in qua mens perturbata falsas omnium rerum imagines concipit.

CCCLV. Quatenus mania non ex materiae cerebri vitio, qui casus localis quandoque accidit, exoritur, eam nimius mentis usus, vel adfectuum gravius incitantium vis, potissimum concitant. Quae tamen, ut magis in cerebrum, ita in totum quoque corpus, plus minusve, licet pyrexia non sequatur, agunt; quod curatio, totum corpus debilitans, et alii stimuli, non protinus cerebro, sed dissitae parti incumbendo, eundem morbum concitantes, confirmant. Quorum stimulorum potentissimi, potio spirituosa vel vinosa, item opium, et quaedam forsan alia, ventriculo recepta, et illic primum agentia, sunt. E reliquis noxis phlogisticis aliae solae minus maniam inferunt, sed, stimulando tamen, nocentium

tium vim intendunt; quod eorundem in curatione remotorum effectus arguit. Si venena quando maniam, illaesa partis alicujus firmae materia, creent, idem eorum, quod stimulantium communium, opus, idem effectus, et morbus idiopathicus et idem, esse judicanda. Quae ipsa, si contra, partis texturam delendo, agant, pro localis morbi origo sunt ducenda.

CCCLVI. Minus in mania cor et arteriae moventur, quia, praecipua noxa vasa stimulans, cibus, minus ad noxarum excitantium numerum accedere solet. Quem tamen, reliquis additum, nocere, hinc patet, quod, ad salutem efficacissima, inter alia remedia, inedia reperitur. Quod, et supra (CCCLV.) dicta, maniam non loco contentum,

ſed ad totum corpus pertinentem, morbum eſſe, demonſtrant.

## HISTORIA PERVIGILII.

CCCLVII. Pervigilium eſt apyrexia phlogiſtica (CCCLIII.); in qua ſomnus nullus aut inſincerus, excito animo, vivas, validas, aut moleſtas imagines, recipiens.

CCCLVIII. Eaedem noxae ſomnium, quae maniam, ſed minus magnae, cient. Quod nimia cogitatio, commotio, vel perturbatio animi manifeſte faciunt. Cogitationis id, quod hoc efficit, non nimium ad extremum eſt; quod, incitabilitatem pro tempore conſumendo, profundum ſomnum pareret, aut, ſi hunc pelleret, per indirectam debilitatem, quae ab hoc aliena loco, ſic ageret. Eademque

demque perturbationis animi, quatenus hunc morbum concitat, menſura: Cujus nimium omne ad extremum vel in ſomnum deſinit, vel eam vigiliam, quam indirecta debilitas cauſa continet, adfert; nec horum mentis et animi adfectuum ſimplex opus, ſemelve aut rarius incidens, effectui par evadit. Qui ſic aut levior aut brevior foret, quam ut morbi titulum mereretur. Eſt ſaepius rediens, aut altius cerebrum premens, eoque manſuram noxam relinquens, irritamentum, quod memorabiliorem creet morbum. Hoc modo magnarum rerum, conjuncto periculo, cupiditas, injuriae gravioris ulciſcendae impetus, ultionis horror peractae, piaculorum futurorum metus, excitum animum commovere,

movere, Catalinae, Oreſtis, Franciſci Spirae, exemplis, oſtenduntur. Quoties igitur adeo ſuis imaginibus aut adfectibus animus excitatur, ut, poſt horum et aliorum ſtimulorum certam moram, requieſcere, et in ſincerum ſomnum componi, nequeat; toties hic incidere morbus judicandus.

CCCLIX. Quem ut relatae noxae (CCCLVIII.), ſic non ſolae, faciunt. Nam, ut poſtea, cum ad pervigilium facientes poteſtates, quae, eventu debilitando potiſſimum agunt, eoque ſub altera morborum ſpecie rite tractabuntur, ventum fuerit, tum, ad ſomnum pellendum alia quoque pertinere, aut cum illis operam conferre cernuntur. Horum opus illorum, quae ſomnum conciliant, operi contrarium, ſcilicet, actionum

num diurnarum ſtimuli ſumma citra id, quod incitabilitatem deterit, ſubſiſtens. Sic exercitationis debitae remiſſio, ſolitae intermiſſio, aquoſa pro merace potio, nullae praeter ſolitum caenae, queis victus ſtimulus ad extremum illud, quo debilitas indirecta, ſomno favens, incidit, ire prohibetur, et frigus, quod, aliter ſtimuli ſummam excedere modum prohibendo, ſimiliter agit; omnia vigiliam, aut huic proximum ſomni ſtatum, cum ſola, tum magis etiam cerebri propriis ſtimulis addita, creant.

CCCLX. Cum hoc modo (CCCLVIII. CCCLIX.) poteſtates vegete ſtimulantes, nec ulla ſtimuli ſummae deminuta parte, pervigilium creent; inde, quae reliquorum phlogiſticae ſpeciei morborum cauſa

ſa eſt (CXLVIII.), eadem hujus, idem utriſque corporis, in quo quiſque morbus poſitus, ſtatus eſſe diſcitur, nec aliae noxae, ſed eaedem prorſus, variante tantum, quod ſaepe aliis phlogiſticis morbis accidit, magnitudinis ratione, praecedere, intelliguntur.

CCCLXI. Quae res (CCCLX.) ex actionibus quoque deprehenditur. E quibus, licet hi morbi apyrexiae eſſe dicantur, arteriarum tamen pulſus morbi prorſus expertes non ſunt; contra tanto validiores quam in ſecunda valetudine, aut ad aſthenicos morbos opportunitate, hiſque ipſis, quanto plus vigoris et, hunc continentis, incitationis, ſubeſt. Et reliquarum actionum, exceptis quae maxime laborant cerebri, ſtatus idem ſane,

qui

qui in mitioribus malis phlogisticis aut ad haec opportunitate, solet. Quod si multo magis, quam reliqua corporis, cerebrum hic, et in mania, laborat; ea res insoliti nihil habet, utpote cum, in morbis pariter et ad eos opportunitate, partem aliquam magis adfici perpetuum sit (XXXVI. ad XLV.).

## OBESITATIS HISTORIA.

CCCLXII. Obesitas apyrexia phlogistica est (CCCLIII.); ubi ex secundissima valetudine, victu lauto, maxime cibo, item quieto vitae genere, crescit eo magnitudinis adeps, ut actionibus incommodet.

CCCLXIII. Obesitatem, sic definitam, morbum esse, morbi definitio (CC.), etiam phlogisticum, diatheseos phlogisticae

ticae certa ſigna, docent. E quibus valida ventriculi, ſive deſiderium cibi, ſive concoctio, ſpectetur, actio, reliquarumque virium concoctricium robur, luculento documento ſunt.

CCCLXIV. Utque, in hoc morbo, poteſtatum incitantium ſtimulus incitationem ſupra id ejus, quod exactae valetudini convenit, ad id, in quo diatheſis phlogiſtica conſtat, attollit; ſine quo tanta ventriculi, chylumque et ſanguinem facientium inſtrumentorum, vis eſſe non poſſet; ſic huic cum reliquis ejuſdem proprietatis morbis commune, ut omnium ſtimulorum ſumma multo, quam in reliquis ejuſdem ſpeciei proprietatibus, minor, nunquam ad extremam magnitudinem, qua indirecta de-

bilitas

bilitas nafcitur; adfcendat, ac ne tanta quidem fubfit, quanta ad cor et vafa memorabilius commovenda fufficiat. Cui tamen toti proprietati accidit, ut hae fimul et reliquae omnes actiones aliquanto fupra fanarum prorfus modum, multo fupra diathefin afthenicam, confurgant. Et a reliquis phlogifticis morbis apyrexiae phlogifticae hoc maxime differunt, quod poteftates incitantes longe citra id magnitudinis, quod incitabilitatem multum confumit, fubfiftunt; ut effectu certo difcitur. Multo enim diuturniores morbi queiflibet aliis phlogifticis funt. Unde, quantumvis cerebrum propriis ipfi ftimulis, quantumvis ejus vafa copia fanguinis, adficiantur; nifi tamen ad incitationem hinc natam, ea,

quam aliae poteſtates ſtimulantes pariunt, accedat, multo minorem communem effectum fieri, pluſque longe omnium poteſtatum conjunctam, quam quarumlibet ſeparatam, vim, valere, certum eſt.

CCCLXV. Diatheſis igitur totius corporis in his morbis, quam reliquis phlogiſticis, ad ſummam minor, partis, ut cerebri in mania et pervigilio, vaſorum ſanguiferorum in obeſitate, ſatis magna, univerſa fere tanta eſt, quanta in opportunitate ad alios, pluſque in parte laborante viget. Inde fit, ut contra iſtorum morborum naturam, ſimiliter ad eos opportunitati, veterare, totius ſtimulantis operis mediocritate incitabilitatem nunquam vel pro tempore vel ex toto conſumente, ſemper incitationis juſto plus

plus pariente, poſſint. Quod ſi cui magnus cerebri et vaſorum his in morbis tumultus magnam incitationis ſummam arguere videatur; is, adfectus partis, quantumvis formidabilis, cum totius reliqui corporis adfectu comparatus, quanto minor (XXXVII.XLIV.) ſit, recordetur, et, quantumvis partem aliquis ſtimulus urgeat, et inde latius per reliquum corpus pateat, niſi tamen ejus opus alii, reliquis partibus admoti, ſuſtentent, ut omnium operis ſumma totum quidem corpus altius adficiat, ſtimuli ſolius effectum in parte conſpicuum, in reliquo corpore minus memorabilem fore, reputet, gravioremque quemque morbum ſemper ab incitatione, quam plurium ſtimulorum vis conjuncta fecerit,

 naſci,

nasci, memori (LXXII.CXLVIII.) animo teneat.

CCCLXVI. In hujus proprietatis morbis ut pars quaedam, in duobus prioribus cerebrum, in hoc vasa sanguifera, multo magis reliquis, magisque quam pro reliquorum morborum phlogisticorum norma, propterea movetur, quod adfectus partis a stimulis, in reliquas agentibus, multo minus sustentatur; ita stimuli, in partes laborantes sic agentes, reliquum quoque corpus, tametsi minus memorabiliter, tangere tamen intelliguntur. Quam rem diathesis asthenica nulla, phlogistica, qualis aliorum hujus speciei morborum opportunitatem, continet, hic manifesta (CCCLXIV.), reliquas partes moventia remedia, quod mox patebit, hanc

hanc curationem expedientia, et his contrariae poteſtates ſemper nocentes, confirmant. Unde, quicquid ſtimuli partem adficiat, id totum corpus, quod toto incitabilitas una et indiviſa ſubeſt, adficere, etiam hic, ubi minime videri poterat, verum certumque patet.

CCCLXVII. Quod ad obeſitatem proprie pertinet; praeter cibum reliquas noxas excitantes quoque plus minuſve valere, clariſſimo hoc indicio ſcias, quod vires concoctrices adeo validae ſunt, ut perfectius ſuo, quam in aliis, qui minime tamen imbecilli ſunt, officio fungantur. Quae tamen noxae citra magnitudinis id, quod ad extremum magnum, propiuſve huc accedens, incitabilitatem conſumendo, incitationem finit, aut per

tumultus magnitudinem ad corpus exhauriendum pertinet, ſubſiſtunt.

CCCLXVIII. Sic animi adfectus nimis hic non ſtimulant. Quod etiam vulgo, pingues miti ingenio dicere ſolito, notum; cum moroſiores plerumque macri ſint. Sic a nimia cogitatione, quae magno ſtimulo eſt, pingues abhorrere cernuntur. Sic quoque corporis motum, quo nimis omnes actiones, maximeque vaſorum, concitantur, ac proinde perſpiratio multum expeditur, naturali conſtitutione pingues, eoque magis, quod omnis motus eos magis, quam alios, fatigat, fugiunt. Hinc humoris, quod corporis foraminibus ſub motu rejici, ab adipis cellulis averti, ſolet, multo illa deferendi, in

has

has per quietem divertendi, copia fit (CCXCIV. CCXCVIII. CCXCIX.).

CCCLXIX. Expofitis jam horum morborum proprietatibus, quoniam partis adfectus ex communi pendet (XLII. XLIII.) ejufdem generis eft (XL.), ab iifdem noxis excitantibus (XLIII.) oritur, iifdemque tollitur auxiliis (XLIV.), inde loco contentus adfectus, five inflammatio, five fanguinis profluvium, five cerebri aut vaforum, quam aliorum locorum, major adfectus, fit, non alius in alio cafu, fed idem prorfus in omnibus effe, ac tantummodo levibus quibufdam nullius momenti rebus differre, et minime diverfam curationem requirere, aut diftinctiones capitales praebere, credendus, manifeftufque, qui totam peffumdedit

artem,

artem, error tollendus. Recte igitur omnes, de quibus actum, morbi non ad duo genera prius, dein ad ſpecies, ſed in duas tantum ſpecies redacti.

CCCLXX. Porro, cum in omnibus his vis omnis morboſa, ſive quantum toti corpori communis eſt, ſive quantum parte magis continetur, incitationem nimiam dando, noceat, et quae illam, eadem hanc auxilia tollant, neque unquam in partem dirigenda ſunt (XLIV.); eo ſpectat omnis haec ratio, ut a valetudine ab omni integra parte, ad maxime phlogiſticum morbum quaedam creſcentis roboris ſeries eſſe fatenda ſit. In qua ſerie peripneumonia vel ſynocha phrenitica ſummum quaſi gradum, obeſitas, imum obtinent, detractaque

detractaque phlogisticis exanthematis, rubeola cum peripneumonia, cum synocha phrenitica, et erysipelate vehemente laborante capite, conjungenda. Quos morbos mitiores phlegmasiae, duo reliqua phlogistica exanthemata, dein haemorrhagiae, postremo apyrexiae phlogisticae, subsequuntur. Inter quos et secundam prorsus valetudinem opportunitas ad hanc morborum speciem, ad vehementissimos altius, ad leviores infra illos; in imo gradu secunda valetudo, collocanda. Postremo, licet eruptio, quam contagio facit, acrimoniae (CCCXL.), hujus dein, secunda pyrexia symptoma, sit; quoniam tamen a diatheseos phlogisticae magnitudine, perspirationem impediente, pendet,

pendet, nec, ad eam prohibendam, quicquam praeter illa, quae diathesin solvunt, agitandum; igitur nihil in communi medendi consilio (CLXXV.) novandum, sed tempus tantum, quo materia contagiosa dilabatur, dandum.

## PHLOGISTICAE MORBORUM SPECIEI CURATIO.

CCCLXXI. Quo commodius phlogisticae morborum speciei medendae consilium in usum deducatur; id quale ante (CLXXV.) propositum, prius vehementi diathesi, dein leviori, et partium periculo sic adhibebitur,

tur, ut ſolius auxiliorum magnitudinis habeatur ratio (CXCIX.).

CCCLXXII. Cum igitur vehemens diatheſis, ut in peripneumonia (CCXXXI.), ſynocha phrenitica (CCXLIV.), rubeola (CCCXLV.), et eryſipelate gravi cum capitis adfectu (CCLVI.), cernitur, ad auxilium potentiſſimum et celerrimum protinus fugiendum, ſanguiniſque non tantum primo, quantum multis, qui ſoli fere ei curationem credunt, ſed plus tamen, quam aliis, placet, detrahendum.

CCCLXXIII. Nulla omnibus menſura, convenit, quae alia in aliis, aetate, ſexu, robore, noxarum excitantium, magnitudine, variantibus, eſt. In puerili aetate, quae praeter

praeter rubeolam rarius relatis (CCCLXXII.) morbis adficitur, et multum provecta, quae minus etiam florente periculi subit, ideo parcior detractio respondet, quod utraque aetate minus incitationis, in illa incitabilitatis magnitudine (LXI. LXII.), in has stimuli seu potestatis incitantis, quam ante, majoris necessitate, modum ei statuentibus, ut causa morbos continet.

CCCLXXIV. Detractioni finem statuendi norma certior, ingravescentium symptomatum sublevatio, vel pro tempore solutio, datur. Itaque si detracto sanguine calor ingens, si pulsuum durities, si capitis aut pulmonis adfectus (CCXIV.), si corporis sicci-

tas

tas (CXIV. CCXIV. CCXX.), decesserit, multumve remiserint, jamque modica magis temperies (CCXXIII.), major pulsuum mollities, minor (CCXVI. CCXVII.), frequentia, et summum corpus humidius, saltem minus arens, cernantur, si dolor ubique consopitus, spiritus levatus, pulsum delirium, sit; scire licet, sat pro tempore fusum humoris vitalis.

CCCLXXV. Ad quem fructum consequendum, in aetate firmata florenteque unciae x. vel xii. multo minus ante postque, plerumque sufficere comperientur. Qua regula parum ubivis respondente, ad eam, quae symptomatum remissionem spectandam proponit (CCCLXXIV.), ut fidam magis, decurrendum.

CCCLXXVI. Quoniam localis adfectus (CLXIV. CCXXVI.) ex diatheseos magnitudine pendet, ideo nullo propter illum praecepto proprio memineris opus esse.

CCCLXXVII. Hoc facto, primaque morbi fracta violentia; deinceps ad alvi purgationem, proximum usu remedium, transeundum. Ad quod praestandum non violentia, qualia multi olim secuti sunt, utpote quorum stimulus, primum opus comitans, noxae esse possit; sed leniora, quales sales neutri, maximeque Glauberianus verus, habentur, quae summopere debilitant, et magnam vasis humoris abstrahunt vim (CXCV.), tractanda. Ut haec cum sanguinis detractione alternis diebus superiore seculo vir prudens adhibuit;

ita,

ita, ſi morbus forte ingruat, nihil eodem die obſtat eorum uſui.

CCCLXXVIII. Alvi poſt detractum parcius ſanguinem purgatio plus, ad diatheſin phlogiſticam ſolvendam, quantavis ſanguinis fuſione, valet; quia, quod ſupra dictum (CXCV. CXCIX.), ſic debilitans poteſtas, quae plus ibi ſemper, ubi primum admoveatur, debilitat, pluribus locis, nec ſolum in vaſis ſanguiferis majoribus, ſed et in horum plurimis ſinibus, admovetur, et incitabilitas latius, eoque aequalius, adficitur, et efficacius imminuitur incitatio.

CCCLXXIX. Nec, ut ſcalpelli nimio, ſaepeque nocenti, (CCCLXXXVIII.) uſui purgatio ſic ſuperſedet; ille tamen omnino, in his maximae diatheſeos morbis,

hoc omittendus; quod ad eam magnitudinem incitatio ſtimulante opere ſaepenumero pervenit, quae, incitabilitate conſumpta, ſeque finita (XIX. CCXLII.), praeſentem mortem intentat.

CCCLXXX. Cum his auxiliis (CCCLXXVIII. ad CCCLXXX.) una cibis omnibus, praeter materiam e genere plantarum petitam, et fluentem datam, item merace, praeterque aquoſam adjecto acido, potione omni, ſemper abſtinendum. Quod praeceptum a prioribus non tam neglectum verbis quam re et uſu videtur; quippe quod leviter, obiter, et quaſi nullius momenti eſſe crederent, ſub adminiſtrationis titulo ſic tradi, ut vis ejus in animum minime deſcenderet, adſueverit. Nullus ſtimulus eo, quem victus

victus adfert, potentior aut nocentior eſt, eoque, quantumvis ſanguinis, quantumvis humoris ſeroſi alvo, detractum ſit, niſi ille accuratius caveatur, hoc omne facile fruſtra eſſe poteſt. Quod cum ita ſit, humida materia tamen, e plantis petita, non ideo interdicendum, quod aquoſa vaſis non retinetur, ſed, minima facile penetrans, variis horum extremis finibus diffluit, alîuſque, mox memorandi, remedii vim ſuſtentat, fructum amplificat.

CCCLXXXI. Una etiam cum prima ſanguinis detractione, prima alvi purgatione, item abſtinentia, cum potione aquoſa, temperiei rationem in primis habendam ne obliviſcaris (CLXXIX. CLXXX.). Nam, ſi frigus ſemper et proprio

opere debilitat (CXXXIV.), ſi ſolum, quod calor ei ſuccedens aut cum eo alternans, ejus effectum in ſtimulantem mutet (CXXXV.); aliter agere videtur, ſi ſolum variolae medetur, vehementem prohibet, ſi optimum adverſus catarrhum eſt (CCLXXI.) remedium, et, ubi calor vitatur, in omni morbo phlogiſtico ſummopere juvat (CXCIV.); quin idem in ſummae diatheſeos phlogiſticae morbis ſummopere frugiferum ſit, neutiquam dubitandum. Unde

CCCLXXXII. Non CCCLXXXI. aliud in variola, aliud in reliquis morbis phlogiſticis opus ejus, ſed idem prorſus, eſſe, judicandum. Quin, ut in omnibus hujus ſpeciei morbis ſolum frigus ad ſalutem ſatis eſſe non ambigendum; ita, quia,

quia, quoties diathesis, ut in iis, de quibus sermo est, hic morbis ad extremum saeviens praesentis opis egeat, omnis mora periculum praeceps adfert, quia remedia relata (CCCLXXII. ad CCCLXXXII.), ad morbum solvendum sufficere, certus usus exploravit, idque frigoris, quod idem efficeret, neque semper in promptu est, neque ab omnibus administrari potest, et beneficium ejus multorum fidem superat; ob has causas, proposita medendi (CCCLXXII. ad CCCLXXXII.) ratione non desistendum, detractaque stragula, veste reliqua, cubiculo refrigerato, pro cubili lectove sedili quam plurimum suffecto, laboranti consulendum, et diuturnitate minoris frigoris brevioris magnitudo pensanda.

CCCLXXXIII. Cui curationis rationi ſolus intenſiſſimi frigoris uſus hoc praeterea plerumque poſthabendus, quod, propter neceſſariam ejus brevitatem, protinus ad majorem, quae, magnum ſtimulum incitabilitati cumulatae addendo, plus incitationis, quam ante, certe nimium (XIV. CXXXIV.) crearet, temperiem foret redeundum.

CCCLXXXIV. Quoniam tale frigoris opus (CCCLXXXI. ad CCCLXXXIV.) eſt, quae ei eruptionis in rubeola introvertendae poteſtas falſo tribuitur, ea non ſoli frigori, ſed calori et aliis ſtimulis, plus, quam abſque praeeunte illo, ſic, ut explicatum (XIV. CXXXIV.), incitantibus, tribuenda. Et quidni? Si varioloſam frigus eruptionem non

non intropellit, ſed, amplificatis vaſorum perſpiratoriorum, quae diatheſi phlogiſtica clauduntur, diametris, exitum materiae contra ſummopere juvat; cur in ſimillima re ejuſdem aliud, immo contrarium, opus judicetur? Iterumne falſa notio, qua contraria facere cauſa prorſus eadem cenſeatur, refellenda? Imminuit in variola frigus eruptionem, ut conceditur. Idem, ut eadem in variola evaneſcat, efficit. Quid tum? Rem veram propius adſpice. Idemne in utroque caſu, an alius, effectus credendus? Unde, quae evaneſcit, introverti materiam noſti? Quibus indiciis id firmabis? Fatere verum. Haſque doctrinae alexipharmacae, quae caloris et alios ſtimulos expedire, frigus impedire ponebat,

ponebat, omnem eruptionem, reliquias alteras eſſe, candidus agnoſce. Cujus errorem doctrinae, cum in variola et aliis caſibus vir illuſtris oſtendiſſet, quia non ad rubeolam accuratius eandem curationem deduxit, ideo nec tu, qui latum ultra ejus verba nequis unguem decedere, deducis. Sed phlogiſticam rubeolam pariter ac variolam, propria curatione ſpectata, cernere poteras. In utroque nonne omnia felicia remedia debilitantia ſeu antiphlogiſtica ſunt? Et, cum in variola frigus quoque debilitare, ſeu, ut dicis, ſedare, manifeſta fides eſſet, nonne in rubeola non ſtimulare, vel adſtringere, et ſic eruptionem repellere, ſed idem opus, ac in variola, peragere, ſuſpicionis inde cauſa ſuppetebat? Uſque adeo ne cogitare,

re, et propria prudentia uti, difficile et arduum eſt, ut nulla in re, qui alios ducendi munus in te ſuſcipis, ipſe reputare in animum (CXX. CXXI..), ut aliàs es convictus (CXXII.ad CXXIII.p.297.), inducas? Verum in hoc caſu peculiarem frigoris actionem contendes, quia, poſtquam eruptio evanuit, omnia ſymptomata violentius et ſaevius ingruunt. Quae tamen res quid pro te, an aliquid omnino, et non prorſus contra, faciat adverte. Frigoris quam credis actionem ſtimulantia, an debilitantia, ſunt ſecuta? Si illa, cauſa mali iis imputanda; quae, ut ſupra dictum (XIV. CXXXIV.), nimiam incitationem poſt frigus, pluſque quam aliter, creant; ſi haec, frigus cauſae particeps eſſe ſuſpicio non deforet.

deforet. Sed non ita eſt. Et, quoties frigoris opus aucta diatheſis ſecuta ſit, id ideo factum, quia caloris et aliarum noxarum ſtimulus non ſatis cautus ſit (CXXXIV.). Quod caloris uſus in curatione tua praeceptus, nedum vetitus, liquidiſſime declarat. Nec mirum. Nam, ſi catarrhi cauſa medicos adeo fefellit (CCLXXV.), catarrhalia rubeolae ſymptomata fefellerint quoque neceſſe eſt. Et, ſi repudiatae verbis doctrinae re ſaepe retinentur (CXX. ad CXXIII.), quid, alexipharmaca quoque quo minus in hac parte retenta ſit, obſtat?

CCCLXXXV. Si frigus igitur ita non adminiſtrari poſſit, ut a ſtimulis comitantibus, ſuccedentibus, aut cum eo alternantibus, concitatus

tus effectus prohibeatur (CXXXIV. CLXXIX.); sive id culpa medici, sive difficili rei natura fiat (CCCLXXXII.); rubeolae tamen, cum aliis ejusdem notae exanthematis, commune prorsus est, ut calor fugiatur, frigoris magnitudo diuturnitate pensetur, et stimulans quaeque potestas maximâ curâ caveatur. Unde ad nihil frigoris, proprie rubeolae nocentis, opinio recidere, in hoc pariter et aliis ejusdem speciei morbis, manifesta est.

CCCLXXXVI. Post adhibita, quae relata sunt, auxilia, symptomatis (CCCLXXII. ad CCCLXXXVI.) retintegratis, idem medendi rursus obeundus ordo, sanguis rursus mittendus, alvus purganda, refrigerare corpus, et per inediam attenuare, non desistendum; eaque

omnia, donec ſymptomatum tumultus componatur, et ſalus, ſaltem pro tempore, reponatur, forſitan tertio, vel amplius, perſequenda. Quo facto;

CCCLXXXVII. Si diatheſis prope jam ſoluta, ſi capitis, pulmonum, vel interior quivis, adfectus jam lenitus aut pulſus, videbitur, nec redituri morbi metus tamen deceſſit, tum ad lenius debilitantia confugiendum: Sanguinis miſſio, alvique purgatio, ſudori, quem comitanti caloris ſtimulo corpus jam, mitigata vel finita diatheſi, ferendo erit, poſthabenda. Cujus ante uſum pauca, de tota ſanguinis detrahendi ſumma, dicenda videntur.

CCCLXXXVIII. Ut in ſingulis detractionibus, ita in tota detrahendi

trahendi copia, ſumma media ei, quam vulgo medici, nunc nimium, nunc parum detrahendum judicantes, ſecuti ſunt, eſſe debet; eoque magis, quod, inter alia relata auxilia curatione magis diviſa, plurimo vitalis humoris profuſo minime nunc opus eſt. Spectanda aetas, ut ante (CCCLXXIII. CCCLXXV.),ſpectanda vitae ratio, quantum ſtimuli recens praeceſſerit, intuendum, corporiſque ſtatus cum ſymptomatum magnitudine et curationis effectu conferendus. Inde de ſanguinis et alia detractione judica, quidque ejuſmodi porro faciendum, quid aliud, videatur, perpende. Ad ſummam, eo minus cujuſlibet auxilii, quo largius alia in uſum vocentur, opus fore videbis, nimiaequae de-

tractionis periculum vitari, et saluti prudentius consuli, cognosces.

CCCLXXXIX. Quod ad detractionis sanguinis genus attinet, is semper maxima vena detrahendus; propterea quod incisa minor, aut arteria, satis, quo vasa latius subleventur, non praebet, et incisam arteriam incommoda quaedam premunt. Quantum ulla certior, in re variante, regula statui possit, intra ternos aut quaternos dies binae librae, conjunctis aliis auxiliis, aetate media, minus ineunte aut provectiore, plerumque satis erunt.

CCCXC. Omnem sanguinis detractionem, quamdiu diatheseos phlogisticae paulo plus supererit, alvi purgatio sequi, nec reliqua cura proposita negligi, debent.

Alvi

Alvi vero purgatio, quae ſimplex quovis tempore podagrae acceſſionem referre, cynanchen tonſillarem, et eryſipelas mediocre etiam adfecto capite, ſolvere, in febribus juſtis manifeſto detrimento paulo largior eſſe, item in dyſpepſia, in aſthmate, et omni morborum in debilitate, ſive recta ſive indirecta, poſitorum genere, plurimum et conſpicue, quod ſuo loco monſtrabitur, nocere, tantopere poteſt, peſſimaeque, per totam aſthenicam morborum ſpeciem curationis, vulgo receptae, pars magna eſt; quanto magis in his omnibus fugienda, tanto certius in phlogiſticis amplectenda, nec in ullo paulo graviore, quales ii ſunt, quibus ſanguinis detractione opus eſt, omittenda, ſed ſic, ut dictum (CCCLXXII.),

et ut olim tractata eſt (CLXXXVII), tractanda. Cujus remedii, ubi prodeſt, diffidentiam, ubi nocet, fiduciam, quas doctrina ſpaſmodica invexit, ut falſo et futili undique principio receptas, ſupra omnia cavendum.

CCCXCI. Vix dictu credibile eſt, quantam alexipharmacae curationis odium optimis auxiliis notam inuſſerit, quam pravum eorum uſum invexerit, rectum perverterit. Quod genus alia, ſupra relata, ne in praeſentia repetam; ſudor, qui, quoties diatheſis mediocris, quoties non ſumma eſt, aut locum vitae neceſſarium minus adficit, id eſt, in omnibus hujus ſpeciei morbis, praeter eos, de quibus hic agitur, ineuntes, ſummopere juvat, ad ſalutem efficaciſſimus eſt;

eſt; nuper horum tamen omnium, maxime poſt ſpaſmodicam doctrinam recipi, et paulatim invaleſcere coeptam, uno excepto, curatione, velut inutilis, velut nocens, penitus exulavit.

CCCXCII. Verumenimvero, praeter rheumatiſmum, quem is, ſaltem uno medicamento motus, ſolvere conceditur, ſi etiam cynanchen tonſillarem, ſi ipſum eryſipelas, ſi ſimplicem ſynocham, pro liberiore aut parciore ejus uſu, certiſſime vel ſublevat vel ex toto ſolvit; ſi hoc ipſi vulgo, ſi medicis in uſu verſatis, notum et compertum, quam tu rationem, quam rem certam et exploratam, quo minus poſt vehementiſſimam diatheſin, aliis remediis multum imminutam, jamque ad exiguam, cui hoc idoneum, deductam,

ductam, idem non adhibendum ſit, adferas, qua fretus facundia, id cuiquam perſuaſurum te confidas?

CCCXCIII. Calorem, qui primum ſudandi opus comitatur, nocere poſſe, dices; nam certo nocere, nunquam periculo facto, non audes dicere. Ut id tibi, in ſaeviente, et indirectam debilitatem minitante, diatheſi (XIX. CLV.) lubenter tribuetur; ita in mediocri, ſive ab initio, ſive aliis auxiliis facta, eoque poſt expoſitam medendi rationem, illum calorem magna toto ſummo corpore humoris profuſione non penſatum iri, et, hac vaſorum parte ſtimulo gravi liberata; aequaliorem in univerſis, et toto genere nervoſo, incitationis deminutionem fore, non etiam dabitur. Si numeroſa vaſcula,

cula, ad inteſtina tendentia, diatheſin phlogiſticam adeo potenter imminuunt (CCCLXXVIII.), quo modo in ſimilibus perſpiratoriis ſimilis purgatio, non eodem pertineat? Cui rationi ſi res, modo relatae (CCCXCII.), porro conjungentur, quid, contra ſudoris tum demum, cum calor, non neceſſario major, opus ejus comitans, amplius non nocere, ipſe multum juvare, poteſt, uſum, habebis dicere? Objice res, objice rationes. In omnes te ſpecies verte, nihil unquam ſolidi contra hoc remedium adferes. Sed unde rurſus hoc omne? Nulluſne vitia fugientibus in contraria currendi finis erit? An nihil curationi alexipharmacae et pariter malae, vel etiam pejori, medium invenietur?

Si

Si illa, ſaeviente peripneumonia, motum ſtimulantiſſimis medicinis ſudorem praecipere non metuit, ideone tua curatio certum ejus et tutum per leniſſimas uſum, recuſabit? Si Sydenhamus, in phlogiſticorum malorum curatione, caveri calorem, quod incitationem certe imminuit (CLXXVIII.), voluit, an tolerabilis is, qui ſalutis efficaciſſimum auxilium comitatur, ideo etiam vitandus, et magnus ad ſummam fructus contemnendus? Si plura, uno potentius, incitationem imminuere ignorabas (CXCII.), et ea tibi venia danda erat, an, quod, empirici ſaltem more, quaedam prodeſſe, nocere alia, non vidiſti, haec, non ingenii, quod a te non requiritur, ſed ſenſus communis,

nis, culpa quoque condonanda? Si, nullis praecedentibus, cogitare et aliquid invenire, nimium et non a te ſperandum fuiſſet, an, e mille, omnes medicinae partes tractantibus, et aliud alio, quodam tenus, recte, ſecus, ſentientibus, nihil expreſſiſſe te, ſed unius viri veſtigiis uſque haeſiſſe, non, aliqua dignum admiratione cenſendum?

CCCXCIV. Non igitur in hac conſilii parte, poſt adminiſtrationem relatam, ſudor non movendus; eoque magis, ſi ad integram ſalutem aliquid adhuc deeſſe, aliquantum diatheſeos phlogiſticae ſupereſſe, et ipſe jam ſponte procedere, videbuntur.

CCCXCV. Ubi ſponte ſuborientis ſigna cernuntur; nihil aliud faciendum, niſi, ut prius accuratius

veſtis

veſtis adjiciatur, linea removeatur, lanea corpori adponatur, potio tepida detur, omnis aura quo minus adſpiret caveatur, ſatiſque longum temporis ſpatium, decem ſaltem aut duodecim horas, ſudetur. Si hac ratione copioſius toto corpore ſudor undique promanabit, non erit opus medicina. Qui, poſtquam bene ceſſerit, et partum ante levamen auxerit, ſi ſub finem forte deficiat, pulvere demum Doveriano ſuſtentandus eo uſque, donec ſperatus fructus provenerit. Cui adminiſtrationi, frigida quandoque data, dein tecto curatoque, ut praeceptum, corpore, ſaepe ad ſententiam rem procedere, addendum. Utque in reliquis, quae ad hanc conſilii partem pertinent, caſibus tum ſudandum demum, cum diatheſeos

theſeos mediocritas, reliquis auxiliis parta, ſinet; ſic in rubeola, quia tempore, quo materia decedat, opus interpoſito eſt, hoc etiam ſpectandum, et nunquam mature hujus auxilii periculum faciendum. Poſtremo, ſi calor forte offendet, ſi, minore cum levamine aut aliquo incommodo, ſudor quando profluet, eum protinus ſedandum, intelligas. Non enim in curatione plura nequicquam, ſed, ut aliorum defectum alia compleant (CXCIX.), et aequalius incitatio toto corpore componatur, hic ſedulo praecepta ſunt.

CCCXCVI. In omnibus vehementis diatheſeos caſibus omnia memorata, plus minuſve, et aliter alia, prout diatheſeos vis reliqua validius quodque aut imbecillius,

largiuſve aut parcius, requirat, in uſum auxilia producenda, et curationis orbis amplificandus. Et, praeter illa,

CCCXCVII. Quaedam levioris momenti, cujuſmodi acida et nitrum, quaedam nullius, qualia ſanguinis per hirudines, per cucurbitulas, et per veſicatoria ſeri detractio, ſunt, tanquam inprimis operae pretium, memorantur. Quorum acida, quantum potionem gratiorem rèddunt, et, adfecto pulmone, tuſſim non concitant, atque quodammodo refrigerant, magiſque, ſi deſiderabuntur, permittenda. Vim nitri refrigerantem, quam pro recepta opinione, minorem eſſe ne neſcias. Reliqua quid valeant, aut, an omnino valeant, poſtea dicetur.

CCCXCVIII.

CCCXCVIII. Ut ad alteram consilii partem transeam (CCCLXXI.); ubi lenior diathesis, ut in reliquis phlegmasiis (CCCLXXII.) indictis, in haemorrhagiis, dum permanent (CCLXXVII. ad CCCLXXXV.), maxime ineuntibus, item scarlatina (CCCXLIX.), subest; minor debilitantis potestatis in auxilium vis requiritur; eoque neque omnia relata remedia, neque singulorum tantum fere, quantum in altera consilii parte, rectus usus postulat.

CCCXCIX. Omnibus his casibus, ne rheumatismo quidem excepto, quem maxima diathesis continet, parum necessaria sanguinis detractio est, illoque excepto, paulo liberior, nocens. Ubi enim incitatio non maxima, contra mediocris, est, et vix id, quod ad vehemen-

hementiores morbos opportunitatem creat, ſuperat; ibi maxime debilitante poteſtate, tanquam adverſus vehementiſſimum morbum, uti, medicinae nomine, diſcrepat. Et, quoniam in ſanguinis detractione, id maxime agitur, ne ad extremum nimia incitatio, in nullam (XIX. CLXXXVII.) tranſiens; mortem inferat; qui metus a mediocri, qualis morborum, de quibus hic verba ſunt, diatheſin cauſa continet, longe abeſt, ob has cauſas, aptanda curatio cauſae, et ſanguinis jactura vel omnino abſtinendum, vel parciſſime utendum.

CCCC. Non ſolum igitur in debilitatis morbis, qui alterius ſpeciei ſunt, quorum in pleriſque plus minuſve vitalis humoris fundere fuit, eſtque moris, ſed in omnibus etiam

etiam hujus ſpeciei, praeter (CCCLXXII.) expoſitos, ſcalpellus cohibendus.

CCCCI. In rheumatiſmo, licet diatheſis ſaepe ſatis magna ſit, non ideo tamen ſanguinis ſolita profuſio requiritur. Nam, ut omnis diatheſis ſemper in aliqua parte, quam caetera quavis pari, ita phlogiſtica hujus morbi in ſummo corpore, quam in pari intus ſpatio, major reperitur (CXXXII.). Quod ideo fit, quia potentiſſima noxa calor, frigori ſuccedens, aut cum eo ſic alternans, ut ejus effectu ipſius ſtimulus augeatur, praecipuam ſuam vim in ſummum corpus dirigit. Hinc, poſt nimiam ſanguinis detractionem, ſaepe tamen obſtinatus morbus recurrit. Cujus rei cauſa, perceptis his prin-

cipiis (CCLI. CCLII.), neutiquam obscura. Sanguinis detractio diathesin phlogisticam maxime in vasis rubris, minus in extremis quevis, minime in perspiratoriis tractuque musculorum dispositis, imminuit, eoque minus, quod operi ejus caloris opus usque resistere periclitatur. Quam explicationem certum medicorum, frustra esse dilectum suum remedium saepe querentium, testimonium confirmat.

CCCCII. Ob quam causam sudor, de quo supra relatum, huic morbo inprimis accommodatur. Ad quem, si vehementior forte diathesis, calore, doloribus, maxime noctu saevientibus, et pulsibus validis ac duris, insignitur, unciis duodecim sanguinis prius detractis, eademque, quae proposita est, temperici

victus-

victuſque ratione habita; protinus decurrendum. Qui ſudor, quo certius toto corpore profluat, diutiuſque permaneat, pulvere Doveriano movendus, ac per duodecim horas juſtus, dein aliquot amplius mador, aut ad ſymptomatum remiſſionem, ſervandus; hiſque repetentibus, rurſus excitandus. Caetera curatio reliquis auxiliis, et prae caeteris tenui victui et temperiei juſtae (CCCLXXXI.), committenda.

CCCCIII. In quo poſt ſudorem caſu, ut et ſynocha ſimplice, ſcarlatina, cynanche tonſillari, catarrho, ineuntibuſque, quo tempore maxime phlogiſtici morbi ſunt, haemorrhagiis, cum diatheſis paulo magis viget, ſed longe tamen a vehementis illius, qui primum

primum expoſitus (CCCLXXII.) caſus, ſaevitia recedit; vel nulla ſanguinis, vel parca perquam, detractione, dein alvi purgatione, medicamento relato (CCCLXXVII.), potiſſimum utendum; tum ſudore levior, brevior, non amplius viii. vel x. horas ſervandus; per totum tempus inedia, potione tenui, corporis et mentis quiete, frigore, niſi ubi ſudatur, et tum quam minimo calore, denique tranquillitate animi, ſicut ante (CCCLXXXI. CXCVI.) praeceptis, ingrediendum. Quorum conjunctus auxiliorum uſus eorum morborum cuivis facile par tollendo.

CCCCIV. Quibus tamen omnibus haud ſemper opus erit. Saepe diatheſis adeo lenis occurret, ut unum aut alterum, ſemel biſve adhibitum,

hibitum,

hibitum, ſufficiat ad ſalutem. Tantula diatheſis ea eſt, ubi, niſi pauliſper initio, horror, languor, dein calor, perquam modicus eſt, pro rata parte parvulam in ſummo corpore diatheſin indicans; ubi quaſi laſſitudo vix ulla eſt, in voluntarii motus inſtrumentis eandem modicam oſtendens (CLIV. CLV.), ubi ventriculi vis permanet, mediocrem hic incitationem declarans (CLXXXVI.); ubi denique reliquae tranquillae toto corpore ſatis actiones, in parte laborante ſola conſpicue patiuntur. Quo in caſu, ſaepe ſimplex alvi per ſalem Glauberianum purgatio, ſaepe ſine hac frigus, quies, et inedia morboſam incitationem ad ſalutarem deduxerunt. Sexcenties cynanche tonſillaris, ſexcenties

catarrhus,

catarrhus, ſexcenties ſynocha ſimplex, quin et ipſum eryſipelas etiam vultu inflammato, ſic ſublata ſunt. Neque ſcarlatina non adeo quandoque lenis, ut eidem adminiſtrationi cedat.

CCCCV. Sic incitationis et diatheſeos perpetua inter medendum magnitudinis habenda ratio, ſaepe vocabulorum ſpernenda. Nam, ut hac mente, ſynocha ſimplex a phrenitica (CCLXX. CCXLIV.), eryſipelas leve a vehemente (CCLVI. CCLIX.), ſupra diſtincta ſunt; ita ſaepe uſu venit, ut catarrhus ad id magnitudinis adſurgat, quod peripneumoniam minetur aut inferat, haec multo ſolito lenius graſſetur. Quibus in rebus, nullo nominum reſpectu, ſola incitationis

tationis magnitudo medentem regere debet.

CCCCVI. Altera hic utilis cautio eſt, ut de pulſuum, de temperiei ſupra cutem, et hujus aliàs, ſtatu prudenter, et his principiis diligenter penſatis, judices. Pulſuum in omnibus morbis phlogiſticis modica frequentia eſt. Cum hac durities et plenitatis aliquantum conjunguntur. Ubicunque igitur ii perquam celeres ſunt, phlogiſticam in aſthenicam diatheſin, incitationem nimiam in nullam, tranſiiſſe, vel ab initio morbum aſthenicum fuiſſe, ſuſpicandum. Ad quam dubitationem demendam, et verum explorandum, noxae excitantes, habitus corporis, aetas, et, praeceſſeritne an non aliqua contagio, circumſpicienda.

Cutis

Cutis calor his morbis et febribus, prorſus contrariae notae, communis et anceps eſt. Qui, cum ab impedita undeunde perſpiratione (CXXXII. p. 122.) pendeat, haud unquam in incitationis ſtatus indicium detorquendus. Et, quoniam communis iiſdem, utut diverſis, morbis cutis ſiccitas, in phlogiſticis a diatheſi phlogiſtica, in aſthenicis a debilitate, pendet, quo, quid ea ſignificet, certius cognoſcatur, caetera ſymptomata, noxae excitantes, conſideranda. Solum denique, abundet an deficiat, incitatio (LXXVIII.), omnibus communibus hinc inde ſignis anquirenda, nec propria quavis ſpecie, temere judicandum.

CCCCVII.

CCCCVII. Relatis igitur notis cum reliquis omnibus et diathesi comparatis, ad antiphlogisticam aut stimulatricem curationem accingare. Vix graviores morbi phlogistici, quales primi memorati (CCCLXXII. ad CCCXCVIII), cum contrariis confundi possunt; leniores quotidie confunduntur. Qui ut facile a similibus sui, asthenicis, distinguuntur, ita, si cui ea tamen anceps distinctio videbitur, is, ne in phlogisticis quidem, propter eam lenitatem, mittendum sanguinem (CCCXCIX. CCCCI.), nedum in asthenicis, quibus adeo debilitans potestas veneno est, ut suo loco dicetur, sciat, suamque sic ab errore tutam, contrariam noxae, curationem fore, monitus intelligat. Si enim, quamvis phlogistica, le-

vis tamen, diathesis subest; eam saepe in contrariam temeraria sanguinis detractio praecipitabit, et semper inutilis erit. Si contra, qui morbus pro phlogistico fallat, is asthenicus esse, procedens, manifestabitur; tum, quicquid sanguinis demptum fuerit, id omne ad malum augendum erit. Quae tamen curatio perniciosa quotidiana plures ad orcum, omnibus humani generis pestibus, demittit.

CCCCVIII. Quod ad haemorrhagias attinet, iis, quam phlegmasiis gravioribus, diathesis phlogistica quia multo minor subest, et, vel sponte dispereunte sanguine, vel auxiliis purgatricibus dein, usque decrescit (CCLXXVII.); idcirco vix sanguinis detractione omnino, solisque novissime relatis auxiliis

auxiliis aliis, plerumque opus erit. Ad quos morbos radicitus convellendos, acceſſionibus per inediam tenuemve victum, levi corporis, quem, hujus abſque labore aut graviore conatu, geſtatio praebet, motu, dein exercitatione, ſemper alvo facili ſervata, ſtimulis omnigenis, maximeque potionis meracis, et in menorrhagia venereo, cautis, occurrendum; cum jam profluvium inſtat, ſero medicinam parari, cito in aſthenicum morborum genus hoc abire, breviſſimamque moram phlogiſticum perſtare, recordandum; denique maximam doctrinae, quae haemorrhagiis vulgo tribuitur, ad haemorrhaeas, de quibus, debilitatis morbis, poſtea tractabitur, pertinere, reputandum. Cataphorae curationi ſi quid propri-

um videbitur, id mox, ubi ad partium vitae neceſſariarum curationem, quae paucis tranſigetur, perventum fuerit, exponetur. Poſtremo, ne quis utilem curationis partem, quae profluvium reſpicit, omiſſam putet, is ex ſupra et modo dictis, quamdiu haemorrhagiae permanent, non de profluviis ſiſtendis, ſed primo proximiſque, ſucciſa penitus cauſa diatheſi, prohibendis, agi reputet, ac tum denique, cum diu quiſque morbus permanſerit, et ex phlogiſtico jam contrarius evaſerit, profluvii, tanquam localis adfectus, rationem, quae ad haemorrhearum proinde curam rejicienda eſt, habendam recordetur.

CCCCIX. Praeter haec, ne, quia nihil, ad varias itides attinens, in

hac

hac curatione propoſitum eſt, haec manca, nec omnibus abſoluta numeris videatur; illas phrenitide, quae ſynochae phreniticae nomine ſupra eo comprehenſa eſt, quod nulla ſubeſſe inflammatio videbatur, excepta, univerſas adfectus locales eſſe (LXXVII.), ad ſeparatum hujus operis, et noviſſimum, locum rejiciendas, memori animo teneas. Nec haemorrhagias, quae vulgo creduntur, non ſaepe eſſe locales, ut, ubi a vulneribus, a ſtimulis, aut acribus, in partem agentibus, nec totum corpus, niſi per medium partis vitium, commoventibus (LXXX.) naſcuntur, a veris ſegregandas, et, ad offenſarum localium in hoc opere locum, relegandas, memineris.

CCCCX. Ut inedia, frigus, et alvi curatio, ad occurrendum variolae malo ſtatui, ſufficiunt; ſic, ubi haec idonea praeparatio neglecta eſt, jamque conferta ſuboritur eruptio, praeter illa, reliquorum quoque(CCCLXXII.adCCCXCVIII.), ex ſupra relatis, auxiliorum, dempto ſudore, periculum faciendum. Sudor autem ideo vitandus, quia comes ejus ſtimulus, phlogiſticam in cute diatheſin augendo, ad humorem perſpirabilem cohibendum, materiam contagioſam ſub cuticula detinendam, et pyrexiam, inflammationis ſymptomaticam; quae ſecunda febris vulgo vocatur, accendendam, pertinet. Quae curationis proprietas ex ſymptomatis relati proprietate, ſumitur, et traditis in hoc opere

praeceptis

praeceptis(CCCXCI.adCCCXCVI) nihil objicit. Queis convenienter, licet relata remedia ſufficere certus uſus firmarit, ante tamen eruptionem, tam ſudoris, quam ſanguinis, detractionis uſui, reliquis morbis phlogiſticis cum hoc communi, nihil obſtat. Denique, ut victus tenuis, frigus, et alvi purgatio, ſic certo reſpondent, ita reliqua, phlogiſticam diatheſin auxilia tollentia, ad eundem hic quoque effectum valitura, perpetuae horum principiorum conſtantiae monſtrandae cauſa, dicendum, nec ab aliis phlogiſticis cum pyrexia morbis variolam, niſi eruptionis proprietate, certum curſum peragente, et celerem curationem reſpuente (C.CI.CCCXXXIX. CCCXLI.), differre judicandum.

CCCCXI.

CCCCXI. Debilitatis ſigna, diatheſeos vehementiam, ut in peripneumonia neglecta, vel malignius debilitante opere tractata, item in ſynocha phrenitica, nec non in eryſipelate gravi caput urgente, denique in variola, quoties in confluentem tranſit, qui caſus omnes ad idoneam curationem neglectam, parciuſve adhibitam, referendi, ſequentia, et per indirectam dibilitatem certum mortis periculum minitantia, non eo, ſcilicet, expectanda ſunt, ut, poſtquam inciderint, curentur; contra auxiliis, jam fuſius propoſitis, mature latis, prohibenda. Quod ubi non factum fuerit, iſtorum morborum, quae manifeſte jam aſthenica eſt, ratio ad aſthenicam ſpeciem rejicienda.

CCCCXII.

CCCCXII. Cum haemorrhagiis, propter tenuem diathesin phlogisticam (CCLXXVII. CCXCII.), proprium sit, ut cito in nullam, dein in asthenicam, transeant, âeque morbi formâ profluvium cum communi adfectu perstans, pro phlogistico plerosque medicos fallat; non igitur phlogistica remedia, et prae reliquis sanguinis detractio, longius, aut ultra metam, ne meliores in pejores morbi commutentur, tendenda. Quin ut horum, quoties occurrent, ad alteram speciem ratio rejicienda; ita ad illorum, quamdiu manent, curationem supra tradita (CCIX.) observatio pertinet.

CCCCXIII. Ubi longa inflammatio consequitur acutam, jam omnis diatheseos, omnis communis

adfectus

adfectus expers; ea frigoris aut adstringentium, ut ante praeceptum (CCIII. CCIV. CCV.), usu pertractanda.

CCCCXIV. Suppuratio, effusio et gangraena (CCII.), quae inflammatorium statum subsequuntur, quoniam, non proprii phlogisticis morbis fines, aliunde quoque nascuntur, et saepe prorsus locales adfectus sunt, ibi operis hujus, ubi de his agetur, quiquid ad eos attinet, id omne commodius exponetur.

CCCCXV. Quoties, ut in gastritide, enteritide, nephritide, cystitide, hysteritide, hepatitide (LXXVII. CCX. CCXI.), cum pyrexia, quam stimulorum, acrium, compressionis, occlusionis, et similium offensarum, in sensibilem partem agentium,

agentium, opus concitaverit, (LXXVII.) diathesis phlogistica forte conjungitur, haec, quia pyrexiam exasperat, suis remediis, nempe debilitantibus jam expositis (CCX.), tollenda. Quae simul et asthenica cum desunt (CCXI.), illic tamen, ad pyrexiam quodamtenus leniendam, simile aliquid, sed libere minus, adgrediendum; et asthenica, quod facile fieri potest, diathesi praesente, ne pessimus accersatur morbus, omnino quiescendum. Nec, ubi illud vel maxime agitur, ideo princeps malum attingi, ejusque effectum, non causam, sollicitari, et totam rationem ad locales morbos, post memorandos, attinere, memoria deponendum.

CCCCXVI.

CCCCXVI. Ad prohibendas haemorrhagias eadem, quae ad quoslibet phlogisticos morbos, administratio, maximeque exercitatio lenis et assidua, tenuisque victus, convenit; quarum accedente impetu, profluvii instante periculo, in haemorrhoide et menorrhagia altioribus paulo clunibus, in reliquis sublato capite, jacendum.

CCCCXVII. Pedum balnei, modice calidi, gratus sensus quandoque juvat.

CCCCXVIII. Cum omnibus auxiliis relatis mentis otium et animi tranquillitas, in omni diatheseos parte commode, in maxima necessario, servanda; eoque magis etiam, si cogitationis et adfectuum stimulus paulo vehementior morbi

morbi faciendi particeps fuerit (CXLV. CXLVI.)

CCCCXIX. In mania igitur et pervigilio hoc praecepto inprimis, tantumque, quantum fieri poteſt, ſtudendum. Quorum in hoc propria cogitatio, et animi commotio, maxime ante ſomnum petitum, certiuſque utriuſvis conſuetudo, fugienda; ſtupidi libri quieſcenti recitandi, cupiditas, ultio, delicti aut facinoris recordatio, avertenda; variique ſtimuli, qui, ad extremum agendo, incitabilitatem deterunt, et ſic ſomnum conciliant, cujuſmodi exercitatio, potio merax ſolita, caena modica, poſtremo calor, adhibenda (CCCLIX.). Quae indirectam debilitatem inferunt. Haec cum noxis, vigilium parientibus, collata, nihil in hoc mor-

bo a reliquis phlogiſticis diverſum oſtendunt, tantumque, quod ſaepe uſu venit, alias ſive noxas, ſive auxilia, aliis plus valere (CXCIX.), et cauſae ſic ſuborienti curationem accommodandam eſſe, declarant; quin ad totam doctrinam phlogiſticam illuſtrandam pertinent.

CCCCXX. Eandemque magni, ad univerſam hanc doctrinam roborandam momenti, rem confirmat, quod eadem, quae pervigilio, maniae quoque, ſed aucta magnitudine, ut altioris incitationis morbo, proſunt. Sic non mentis quies aut animi tranquillitas, quae utraque prorſus hic periit, ſed commotioni et enormi cogitandi vigori contrarius ſtatus, quaerendus. Cumque nimia mentis aut animi vis, vel utraque, potentiſſima hic noxa ſit,

ſit, ita metus, terror, injiciendus, ad deſperationem inſanus agendus; in magnam motus voluntarii inſtrumentorum incitationem remedium jumentorum labor aſſiduus imponendus; tenuiſſimus victus, aqua potui, danda; hac frigidiſſima ſaepe mergendus aeger, diu et prope ad mortem totus tectus ſervandus. Quae omnia, partim eventu, partim recta, debilitando, et ipſe tenuis victus, juvantia, quam hic morbus pervigilium referat, nec a reliquis phlogiſticis, niſi noxarum magnitudinis ratione, differat, oſtendunt. Nam, ut cujuſvis proprietatis morbi noxarum magnitudine inter ſe diſcrepant, et aliae partes aliter, illis varie quamque adſicientibus, laborant, unde varia morborum vocabula; ita proprie-

tatum phlogiſticarum varietatis ſimilis cauſa. In phlegmaſiis maxima diatheſis altius corpus commovet, aliam atque aliam partem inflammat. In haemorrhagiis minor leniora ſymptomata communia parit, ad partis inflammationem non adſurgit (CCXXVI. CCXCII.), perque telae cellularis imbecillitatem in vaſorum finibus profluvium creat (CCLXXXVIII.). In exanthematis variante diatheſi variat effectus: Quam ut materiae cutem irritantis ſtimulus hic memorabilem efficit, ſic ejuſdem, inter fermentandum, intus mora, et neceſſarius demum exitus, aliquam morbo diuturnitatem dat. Similiter eadem varians noxarum magnitudinis ratio, quare cerebrum hic maxime, multo minus alia corporis,

ris, laborent, explicat. Si in ſynocha phrenitica cerebrum, in peripneumonia pulmones, in rheumatiſmo artus exteriores, majorem, quam in alia pari parte, diatheſin phlogiſticam poſſident; quid obſtat, quo minus mania et pervigilium etiam magis in cerebri, in quod praecipuae noxae agunt, minus in reliquarum partium, ubi illae minus poſſunt, adfectu conſiſtant? Poſtremo, quoniam primum alias partes auxilia moventia his morbis opifera ſunt (CCCLV. CCCLVIII.), ea res, ne in iis quidem, ubi maxime credas, adfectum morboſum totum in parte conſpicue laborante poſitum, ſed univerſum corpus ejus particeps eſſe, unam per totum ac indiviſam incitabilitatem (XXXIV. XXXVI.) patere, in

totam eam noxarum excitantium pariter, et auxiliorum, cum inaequalitate toties relata, vim dirigi, certaque et ſtabilia hujus doctrinae fundamenta ſolido robore ſuperjectam molem ſuſtinere, confirmat.

CCCCXXI. Ut in mania et pervigilio praecipua poteſtas nocens mentis et animi actio, praecipue laborans locus cerebrum, ſunt, et reliquis corporis aliquantum, ſed minus, quam in aliis morbis phlogiſticis, ab his et reliquis noxis nocetur, ab auxiliis conſulitur; ita, in obeſitate (CCCLXII.), maxime memoria dignae noxae, cibus ex carnea materia paratus (CCCLXVII.), et quies, qua motus ſtimulus, exhauriendo corpus et fatigando, jam ad indirectam debilitatem vergit, deeſſe

deeſſe ponitur, exiſtunt. Sed cum, poſt eundem genere et copia cibum, eandem quietem, alii pinguefcant, alii macres permaneant, inde vires concoctrices omnes in illis plus, in his minus, valere, eoque reliquas incitantes noxas ad eam rem contuliſſe, et incitationem pro ratione ſequi, conſtat. E noxis huc ſpectantibus, mentis facilis actio, tranquillitas animi, quae modici ſtimuli ſunt, obeſitati favent; cogitandi labor, adfectuumque conſuetudo, quales irae indulgentia, qualis moroſitas, eſt, obſtant. Obſtat motus corporis, qui humorum intus copiam imminuit, et, quoties magnus eſt, fatigat ac debilitat. Obſtat larga potatio, quae, ſimiliter incitationem, ſtimuli magnitudine aut diu-

turnitate

turnitate incitabilitatem uſque conſumendo, deterit. Contra poteſtates faventes placide, nimiſque aliquantum agentes, ſed nunquam eam actionis magnitudinem, quae ad indirectam debilitatem inclinat, adipiſcentes, molliter et jucunde procedentes, maxime perſpirationis modum ſervantes, ſic vaſa ſanguine replentes, ſed, quia motus cavetur, non eorum incitationem ſummopere intentantes, perque tranquilliorem eorundem motum humorem, alias foraminibus externis diſceſſurum, in adipis cellulas vertentes, hanc morbi proprietatem pariunt. Hinc, licet, ut ſupra dictum (CCCLV. CCCLVI. CCCLIX.), ſanguinis abundantia maximus quidem ſtimulus ſit, ſine aliis tamen ſtimulis, eoque potentiſſimo,

mo, quem motus mufcularis (CXLII. CXLIII.) praebet, fatis magnam fine morbo memorabiliore tolerari poffe, et ad phlogifticos quidem opportunitatem femper, non ipfos protinus, facere, manifeftum. Hinc, quem in nimiae incitationis, aut phlogifticae diathefeos ordine, locum obefitas obtineat, quanto noxae ftimulantis, queifque prae caeteris (CCCLIII.) nafcatur, intelligitur. Hinc in omni morbo, morbi periculo, ipfaque integra prorfus valetudine, noxas fupra propofitas folas fere (CXXX.) vitae, five juftae, five nimiae, propria, eodem opere, magnitudine tantum variante, creare, nihilque fine illis vivum corpus effe, percipitur. Denique,

CCCCXXII.

CCCCXXII. Cum caufae magnitudini curationis accommodanda (LXXXV. LXXXIX.) fit, ad hunc quoque morbum tollendum commune confilium (LXXXV.), fcilicet, ut incitatio nimia ad falùtarem deducatur, et idem proprium praeceptum, quo, ut quaeque noxa magis in morbis valeat, ejus effectus majorem rationem habendam, nec reliquarum tamen, pro cujufque magnitudine, fimul negligendam, faepe fupra monitum (CXCIX. LXXXIX.), pariter, ac in omnibus hujus fpeciei morbis jam fufius expofitis, fufficere comperientur.

CCCCXXIII. Minus igitur, qui hic praecipua noxa, cibi dandum, plus exercitationis fubeundum. Haec ad curationem fufficiunt. Sed, ad

ad communem hanc doctrinam confirmandam, ſimul et illuſtrandam, omnia, quae ſummopere, pluſque, quam hujus morbi noxae relatae, incitationem movent, et ad indirectam debilitatem inclinant, eodem pertinere, pinguedini vel occurrere vel mederi, idque ad maciem eam, quae cum debilitate conjungitur, uſque facere, dicendum.

CCCCXXIV. Optima cibi deminuendi ratio eſt, aliquantum materiae, e plantis petitae, cum mediocri carnea conjungere. Cui proxima eſt, hac abſtinere, largius illam ſumere. Quorum prior iis omnibus magis convenit, qui debilitatis morbis, cujuſmodi podagra, dyſpepſia luxum ſero ſecuta, aſthma, epilepſia, et ſimiles, haberi debent,

bent, opportuni ſunt. Poſterior ibi ſolum reſpondet, ubi magnus alioquin vigor, ad phlogiſticas pyrexias opportunitas, eſt, et floret aetas. Quae tamen ne in hoc quidem corporis ſtatu, niſi pro tempore, perſequenda; quia tanta eſt ejus materiae debilitandi vis, ut, dum ad quamlibet obeſitatem tollendam ſatis ſuperque, praeſertim exercitatione addita, eſt, tamen diatheſeos aſthenicae, et omnium inde pendentium morborum, efficax in primis reperiatur.

CCCCXXV. Ex ſupra tradita doctrina creſcentis incitationis ſeries hoc modo ſtatui poteſt. Sit medium punctum ſalus integra; infra quam opportunitas ad aſthenicos morbos, hique ipſi, ſuo quiſque debilitatis ordine, collocandi.

Protinus

Protinus ſuprà morborum phlogiſticorum periculum, ipſique dein hoc ordine ponendi: Obeſitas, pervigilium, mania, haemorrhagiae; phlegmaſiae mites, ut catarrhus, ut cynanche tonſillaris, ut eryſipelas et ſynocha, cum hi duo lenes morbi ſunt, dein rheumatiſmus; tum phlegmaſiae vehementiores, ut eryſipelas graviter adfecto capite, ſynocha phrenitica, et ſuper omnes peripneumonia. Hi poſſunt ſuperiores gradus facere; de inferioribus, poſt ſpeciem aſthenicam finitam, demum agetur. Exanthemata phlogiſtica phlegmaſiis intermiſcenda, pro diatheſeos, quodque, magnitudine, diſponenda; noſologia delenda.

PRIMI VOLUMINIS FINIS.